NOMENCLATOR AGRICULTURÆ.

NOMENCLATOR AGRICULTURÆ

AVTHORE

CAROLO DE AQUINO

SOCIETATIS JESU.



ROMÆ, MDCCXXXVI.

Typis Antonii de Rubeis, in via Seminarii Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.



LECTORI
Benevolo.

Cum plerique Scriptores veteres de re Ruſtica ab herbis, & arboribus ſingulatim recenſendis, earumque natura & proprietatibus perſcrutandis calamum abſtinuerint, obſecundandum iiſdem mihi eſſe conſtitui, tum ſtudio brevitatis, tum quoniam ſuper iis eruditas doctaſque commentationes præmagnis voluminibus effectas dederunt alii. Tametſi enim affinis eſt ea tractatio agrorum culturæ, intra cancellos tamen ruſtici fori mihi ſubſiſtendum eſſe propoſui. Cæterùm in poſtrema hac, qua-

liſ-

liſcumque eſt, ſtudiorum meorum exercitatione, eundem ordinem typumque a me ſcias eſſe ſervatum, quem in Lexico Militari, & in Vocabulario Architecturæ ſum perſequutus.

FRAN-

FRANCISCUS RETZ

Præpoſitus Generalis Societatis JESU.

CUm Librum, cui titulus: *Nomenclator Agriculturæ authore P. Carolo de Aquino* noſtræ Societatis Sacerdote, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratiâ has literas manu noſtrâ ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Romæ XIV. Novembris MDCCXXXVI.

Franciſcus Retz.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſt.

N. Baccarius Epiſc. Bojan. Viceſgerens.

JUbente Reverendiſſimo Patre Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro, legi Librum, cui titulus: *Nomenclator Agriculturæ*, Authore Clariſs. Viro Carolo de Aquino Societatis Jeſu; illumque utpote purioris Latinæ linguæ, & penitioris Eruditionis cultoribus apprime utilem, typis mandandum cenſeo; præſertim, cum nihil Fidei Dogmatibus, & morum honeſtati contrarium contineat. Romæ Non. Nov. MDCCXXXVI.

Michael Joſeph Morei.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

A

ABIGEUS. *Plin.* & Abactor, *Apul.* & Abigeator, *Pandectæ*. Prædo pecuarius. Differt a fure, quoniam hic ſuem, bovem, pecudem ſurripit; Abigeus gregem, vel ex grege quam poteſt partem aufert. Alio diſcrimine fur clam ſubtrahit; abigeus utroque modo, occultè & apertè. Hac diviſione diſcriminatur etiam a latrone, qui apertè ſolùm prædatur. Neque enim audiendus eſt Feſtus, qui latrones a latendo dici exiſtimat; cum ſit compertum, latrones dici, quaſi laterones; propterea quod antiquitus ſtipatores eſſent Præfectorum Militarium, & eorum latera tuerentur. Iidem poſtea eo miniſterio in aliorum perniciem & graſſationes abuti cœperunt. Quemamodum nec Hofmanno fidendum eſt, qui furem a ferendo dictum putat; vel a furvo, ideſt atro, quoniam nocte & tenebris gaudeat, cum certum ſit, permutatione vocalis mediæ, vocem eſſe Græcanicam.

ABLAQUEO. Eſt terram fodere circa radices arborum, ut, revolutis glebis, trunco & ramis ad uberiorem fructum ferendum humor accreſcat. Ternos in orbem pedes, ad hujus culturæ uſum, circumfodiendæ ſunt arbores. Ejuſmodi foſſionis genus Columella, & Palladius ablaqueationem vocant, a lacu, ſive, ut antiqui ſcribebant, laquu; qua voce ſpatia quædam quadratæ, vel rotundæ figuræ ſignificabant. Hinc apud præfatos Scriptores crebra mentio lacuum & lacuſculorum, cum indicant quadrata ſpatia in horreis & granariis, ad excipienda ſeparatim omnis generis legumina. Lacus etiam appellantur interſtitia quadrata, quæ ſeriatim inter medios aſſeres cernuntur in cubiculorum vel tectorum contabulatione; ex quo contignatio ipſa lacunar & laquear nuncupatur. Proinde lacus apud *Virg. Georg.* 1.

Aut arguta lacus circumvolitavit hirundo,
Non ſunt exponendi ſtagna, vel quæcumque aquarum receptacula; ſed ſpatia, ut dixi, quadrata inter aſſerculos, quæ in domorum faſtigiis prominent ad ſuggrundas tectorum. Cum enim Virgilius ibi agricolis digerat ſigna pluviæ adventantis, res eſſet præpoſtera, hirundines a tectis domorum ad campeſtria aquoſa loca commigrare; cum contra liqueat, eaſdem ex agris conglobatim ferri ad tecta ædificiorum, ubi circumvolantes proximum habent ab imbre impendente perfugium. Alia notione ablaqueare arbores Catoni eſt, amputatis ramis, quaſi laqueis, plantam relaxare, ut inducto copioſius aere germina emittat.

ABNODO, as. Purgare arbores nodis. *Colum.*

ACCEPTÆ, arum. Portiones agri, viritim diviſi. *Siculus*, *Flaccus*.

ACÆNA, aliis AENA. Baculus longior aratorum, quo boves ſtimulantur. *Colum.*

ACERVUS. Vocabularium recens excuſum hæc habet: *Minutarum propriè rerum congeries eſt, ut frumenti, leguminum, & ſalis*. Etiam de lapidibus propriè dicitur: & ſingularem quidem celebritatem obtinuit acervus lapidum Mercurialis. Mos olim erat prætereuntium viatorum, ut ſublatum quiſque e via lapidem mitteret in acervum; ſive ad purgandam viam, ſive in honorem Mercurii, viarum præſidis & cuſtodis. Vide de hoc ritu Phornutum *de Natur. Deor.* & Scholiaſtes Homeri *in Odyſſ.* & Nicandri *in Theriacis*. Subit ſuſpicari rudimentum id fuiſſe Hermarum, nempe ſtatuarum Mercurii, quæ caput ſolummodo exhibentes, rudi cæteroqui relicto corpore, non ſolum ante januas domorum, verum etiam in biviis, triviis, & quadriviis erigebantur, cum inciſa in frontibus nota, quæ, quò via duceret, edocebat. Planè ut quemadmodum cippi terminales, Deo Termino dicati, definiebant fines agrorum, ſic Hermæ indicarent uſum viarum. Sed vide de his Salmaſium *in Solin.*

ACETARIA. *Plin.* Sumuntur paſſim pro edulio ex herbis, oleo, ace-

aceto, & ſale, temperato. Sed propriè ſunt herbæ edules aceto conditæ. Hortos etiam acetaria appellari colligit ex eodem Plinio Hermolaus Barbarus.

ACETUM. *Cic.* Vinum acre. Præcipui olim erat uſus in cibis & pulpamentis condiendis, cum juſcula exotica, & embammbata gula nondum invenerat. Idem aqua dilutum militum, ſervorum, & infimæ ſortis hominum erat potus; ideoque Chriſto Domino in extrema illa ſiti ſpongiam aceto imbutam oblatam legimus *Matth.* 27. Satis conſtat vim habere validiſſimam ad diſſolvenda ſaxa, metalla, atque adeo gemmas, quæ ferro & igne diſſolvi non poſſunt. Alpium ſaxa ſilicea aceto diffracta ab Annibale Livius quidem, & Plutarchus tradiderunt; rem tamen incertam eſſe evincunt Cornelius Nepos, qui in ejus Ducis vita nihil habet de alpibus aceto putrefactis; item Silius, qui trajectum illum deſcribens aceti non meminit; poſtremò Plinius, qui multa referens experimenta ad vim aceti comprobandam, atque alibi eumdem tranſitum memorans, alpinas cautes aceto maceratas omnino reticet.

ACINUS. Minuta fructuum grana, liquorem continentia, acinos vocamus. Differunt a bacca, quæ duriorem pellem, vel corticem habet, & rarius atque diſperſius germinat. Baccas lauri, mirti, & ſimilium; acinos uvæ, mali punicæ, & hujuſcemodi dicimus. Vinum acinaceum Ulpiano eſt ex acinis divulſis confectum; aliis miſtum ex aqua & acinis.

ACNA, aliis ACNUA, aliis AGNA. Menſura agrorum. *Varro*.

ACROBATICUM. Vitruvio ſunt machinæ ſcanſoriæ. Inter alios aliarum artium uſus, iis utuntur Villici ad tondenda buxeta, laureta, aliaſque altiores arbores in xyſtis, umbroſæ ornatæque ambulationis ergo.

ACTUS. Non ſolum apud Agrimenſores menſura eſt centum & viginti pedum, ſed ipſum agri ſpatium totidem pedes complectens, quod uno impetu boves arando conficiunt. Actus ab agendo dicitur. *Plin.*

ACUS, eris. Neutr. gen. Purgamentum frumenti. Acus fabale,

bale, & ſimili modo de aliis etiam dicitur leguminibus. Gallinis parturientibus ut ſubſternatur præcipit Varro. Luto & paleis miſtum aceratum non ſolum munitiones tumultuarias erigit; verum etiam eodem parietes ſtruebantur, cum ignota erat ratio arenæ foſſilis calciſque miſcendæ. Nunc etiam ex eodem acerato maceriæ ad vineas hortoſque concludendos conficiuntur. Certè non alias olim fuiſſe Ruſticorum domos Vitruvius, aliique tradiderunt: de iiſdem clarè Petronius:

Et paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto clauſos munibat agreſtes.

ACUS, us. Ab acu ſutoria Columella acus appellat paleas frumentarias, in acumen deſinentes.

ADAGGERO, & AGGERO. Accumulo. Pro congeſta ad radices arborum terra familiaria ſunt verba apud Scriptores rei Ruſticæ: *Terram adaggerato*. Colum.

ADAQUO, as. *Plin.* Aqua deducta, vel inſperſa arbores, flores, herbas reficere: irrigare. Vide *Irrigatio*.

ADJUGO. Adjugare vites Columellæ eſt, eas ad palos defixos diſponere ad modum jugi. Eſt etiam adjugare, ad jugum nectere, quod aratores faciunt, cum boves aratro, & cum agricolæ plauſtris boves jungunt.

ADMINICULO, as. *Colum.* &

ADMINICULOR, aris. *Cic.* Propriè de vitibus, quæ adminiculis, ideſt palis & pedamentis fulciuntur, translatè de aliis dicitur.

ADMINICULUM. Vide *Adminiculor*.

ADMISSARIUS. *Varro*. Equus procreandæ ſoboli addictus, ac proinde laborum & vecturæ expers. Dicitur etiam de maſculis aliis in armento vel grege, qui fœturæ cauſa adhibentur.

ADMISSURA. *Colum.* Adjunctio admiſſarii ad equas, & tempus ipſum fœturæ.

ADMUGIO. Eſt bovem reſpondere ad alios boves, vel juvencas mugientes. *Ovid.*

ADOR. Authore Feſto, vel ab edendo dicitur, quod vulgatiſſi-

tiſſimum eſſet cibi genus, vel ab adurendo, quoniam aduri ſoleret in ſacrificiis. Farris genus inter legumina maxime commendatum. Præcipuum habuit locum in ſacrificiis, ex quo mola ſalſa, & liba adorea apud *Virg. lib.* 7. Frequens idem amplumque donativum, militibus ab Imperatore impertitum; tantique habitum, ut in appellationem laudis bellicæ, gloriæque tranſierit. Hinc enim Adorea prœmium militum poſt partam victoriam. Clarè Plinius: *Gloriam denique ipſam farris honore adoream nominarunt*. Eodem frumenti genere victitaſſe populum Romanum ab Urbe condita annos trecentos, idem Plinius, aliique ſcriptum reliquerunt.

ADYNAMUM. *Plin.* Vinum factitium, ex aqua & muſto albo temperatum; notione Græca debile & imbecillum; quamobrem ægroti eo utebantur, quibus a validiore vino timebatur.

AFFINES. *Feſt.* Quorum agri vicini ſunt: nam fines de agris propriè dicuntur.

AGASO. Equorum, vel aſinorum ductor. *Liv.*

AGENORA. Vide *Murcia*.

AGER. *Cic.* Ab agendo dicitur, vel activo ſignificatu, quod ibi, ad vitam ſuſtentandam, plurima fiant opera agricolarum; vel paſſivo, ab ipſa terra, quæ aratro & aliis inſtrumentis ruſticis quotidie vertitur, & foſſionem ſuſtinet. Ager planities eſt campeſtris, apta ferendis frugibus, oleis præſertim, frumento, vitibus, & ſimilibus. Etiam regiones montanæ, aptæ frugibus procreandis, agri dicuntur. Apud Romanos vetitum olim lege Stolonis, ne quis ultra quingenta jugera agri poſſideret. Sed poſtea ampliati a privatis fines agrorum; graveſque ea cauſa ſubortæ ſeditiones, quas ægrè compoſuerunt Leges Agrariæ. Primitiæ omnis generis fructuum Deo offerebantur apud Hæbreos, ut habemus in libris *Numer.* & *Deuteron.* De ritu luſtrandi agri apud Romanos vide infra *Ambarualia*. Vetus eſt effatum, agrum quàm agricolam imbecilliorem eſſe oportere. Præſtat quippe, & longe majoris compendii

eſt,

eſt, fundum anguſtum impigre & ſolicite, quàm latiorem parum diligenter colere. Iſthuc reſpexit Virgilius *Georg*. 1.

——— *laudato ingentia rura*,

Exiguum colito.

Preces & ſacra ſolemnia inſtituerunt Ethnici, ut opimæ ſegetes, feraces vindemiæ, omniſque generis fructus feliciter & copioſe provenirent. Hinc Arvalia, & Sementinæ feriæ apud Romanos. Ovidius *Faſt*. 1. Diis agrorum cuſtodibus ſic concinit:

Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Ut capiant cultus præmia digna ſui.

Eccleſia Catholica quotidie fere Deum Verum Optimum Maximum, & Cœlites ſic apprecatur: *Ut fructus terræ dare & conſervare digneris*. Alia notione ager eſt territorium, ſpatium nempe campeſtre, cum juriſdictione & certis legibus, quod circa fines cujuslibet Civitatis vel Provinciæ extenditur. Juxta hanc acceptionem non ſolum res frugiferas, ſed etiam montes incultos, colles, flumina, lacus, & ſimilia continet. Proinde ea ſpatia, Agrum Romanum, Campanum, Tiburtinum, Tuſculanum nuncupamus.

AGNUS. *Plaut*. Fœtus ovis, nondum annum egreſſus. Non ſolum adhibitus in nuptiis celebrandis, ut ex Plauto, & aliis cognoſcimus, verum etiam in ſacrificiis. Duo in dies apud Hæbreos immolabantur, quoniam victima habebatur omnium puriſſima; ex quo agnum appellationem trahere ex Græco, traditum eſt. Abolitum fuit apud eoſdem Hæbreos cum aliis hoc ſacrificii genus, cæteroqui immolationi omnium aptiſſimum, poſtquam Agnus Divinus, Chriſtus Dominus, cujus ille figura erat & adumbratio, victimam ſe pro nobis Patri obtulit, ut habemus apud *Daniel. c.* 9. *Deficiet hoſtia*, *& ſacrificium*. Agnos Dei appellamus numiſmata cerea Pontificia, quæ, Agni cæleſtis imagine impreſſa, meritò ſtudiosè quæſita, piè aſſervantur, ut nos ad recordationem mortis Chriſti Domini, victimæ ſalutaris exſtimulent.

AGOLUM. Baculus paſtoralis, quo oves aguntur. Ab agendo. *Feſt.*

AGRESTIS. *Subſtant.* Agricola. *Virg. l.* 1.

——— *collectos armat agreſtes.*

AGRICOLA. *Cic.* Cultor agri. Ut evincas agrorum culturam artem eſſe omnium antiquiſſimam, & præcipuæ nobilitatis, neceſſe non habes advocare faſtos Romanos, apud quos exploratum eſt, numquam majori gloria eam gentem domi foriſque floruiſſe, quàm cum Conſules accirentur ab aratro; & illa, ut cum Horatio loquar, ruſticorum maſcula militum proles latè per orbem terrarum arma & triumphales aquilas circumferret. Ut enim reticeam exercitationem præſtantiſſimam cum rerum exordio prognatam, neminem præterit Hæbreos maxime illuſtri loco natos eidem naviter operam collocaſſe. Sed neque aliarum Nationum familiæ clariores aliter, quàm excolendis agris, dignitatis ſuæ fundamenta jacere perſuaſum ſibi eſſe voluerunt. Poſtremò etiam cum peſſum antiquos mores avaritia, ſuperbia, & ambitio dedere, adhuc agrorum cultura apud ſaniores quoſque decus ſuum, & primarium inter artes locum tuetur & ſuſtinet. Minimè proinde vero abluſit Cicero cum ſcripſit *de Offic.* 1. *Nihil agricultura melius, nihil homine libero dignius.* Omnia complectar agriculturæ commoda & laudes, ſi dixero, nihil eſſe in univerſa rerum natura, ubi clarius eniteat ſingularis quædam cum ſumma utilitate jucunditas. Quid enim ad ſpem votumque dulcius contingere cuiquam poſſit, quam ex agrorum proventu uberi ampliari fortunas ſuas? Quid gratum acceptumque magis, quàm ex arbore, quam ſtudioſe diuque excoluiſti, fructus percipere; largaque meſſium & vindemiæ copia ſolari ſudores annuos, & labores impenſos? Ad hæc ipſa rerum varietas, prata, vineta, ſegetes, horti, fontes irrigui, quantam verſicolori camporum amictu pariunt voluptatem! Id ſcilicet cauſæ fuit, quamobrem viri, belli paciſque artibus nobiliſsimi, ad conſitos eximia amœnitate fundos villaſque ſæpe conſugerent;

rent; ſorique litigia, Curiæ tædia, & curas urbanas, in ipſo relinquerent agrorum veſtibulo. Supervacaneæ autem eſt operæ Lucullos, Scipiones, innumeroſque Duces alios recenſere, qui ſudoris bellici terminum in agreſti otio & quiete ſibi conſtituerunt. Ipſi porro ſapientiæ, doctrinæque laude ſpectabiles viri, laboris litterarii delinimentum vel ruris deliciis quæſiverunt; vel ipſo villarum ſeceſſu, quodam veluti temperamento, ad navandam litteris operam uſi ſunt. Nemoroſo umbroſoque in loco Platonem & Ariſtotelem, hunc quidem Lycæum, illum vero Academiam conſtituiſſe, diſcimus ex Plutarcho. Cicero autem non ſolum apud Puteolos villam, ſed Tuſculi etiam ſeceſſum habuit amœniſſimum, quo diſputationibus etiam ibidem habitis titulum fecit. Appoſitè proinde ſcitèque Virgilius, ubi viris cum ſumma laude e vita decedentibus, perpetuæ jucunditatis ſedes adſcribit, non auro & metallis fulgentes domos, non theatra, templa, baſilicas, ſed agrorum viridantium, ſilvarumque ſtationem commemorat:

Devenere locos lætos, & amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas.

Quid plura? a Divino rerum Arbitro Parens humani generis voluptuoſo feliciquc procreatis arboribus herbiſque loco poſitus: Geneſ. 2. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit eum in Paradiſo voluptatis*. Juſſus idem regionem illam beatiſſimam colere: addidit nempe, *ut operaretur, & cuſtodiret illum*. Atque utinam non ille præceptum Domini violaſſet; neque enim laborioſam duramque, ſed citra ſudorem, ærumnas, & curas, agrorum culturam haberemus. Non omittam ad ultimum obſervare, tam civicos, quam bellicos Magiſtratus, apud Romanos, imperii & poteſtatis inſignia a re agraria mutuatos. Signiferi manipulos, ideſt fœni faſciculos haſtæ appenſos in militari progreſſu & prælio extollebant. Faſces vero, ideſt virgæ alligatæ cum inſerta ſecuri, præcipuum erant inſigne Conſulum, ſive ad capeſſenda bella progrederen-

derentur, ſive in pacis otio imperium in Urbe exercerent. Vide *Colonus & Ruſticus*.

AGRIMENSOR. Qui metitur agros, & fines definit. Vide *Groma*.

AGRIPETÆ. Poſtulatores in diviſione agrorum. *Cic.*

ALA, Æ. In herbis dicitur cavitas inter caulem & ramulos, unde novus egreditur fœtus. *Plin.*

ALICA. Vide *Zea*.

ALLIUM. Neque a gravi halitu, neque ab olendo dicitur, ut quidam ſcripſerunt, ſed a voce Græcanica, a Latinis parum detorta, quæ allii caput ſignificat, ut optimè obſervat Martinius. Procul dubio non ſapidus modo bulbus, & condituris idoneus, ſed etiam, ſi Deo placet, medicamentarius eſt. Contra incantationem præcipuam vim habere meminit Perſius. Uſitatum etiam agreſtium cibus, cujus beneficio ab aeris craſſitudine, & noxio humore ſe vindicant. Cum enim ſit magnopere acerbus & mordax, ſpiritus alit, & vires addit. Hinc gallis gallinaceis pugnaturis allium Athenienſes edendum præbebant, ut acrius ad concertandum incitarentur. Inter Deos Ægyptiorum cum cæpa & porro adnumeratum fuiſſe traditur. Horatius jocoſæ exercitationis, & ingenii, ut opinor, periclitandi gratia, in allium Oden conſcripſit. Sed eumdem, ſaltem clam alios, allia eſitaſſe ariolari licet; atque adeo conjicere ex ipſius poeſi, acri, per Muſas, & alliata. *Allium in retibus*: Adagium eſt, non de ſordido commeatu Atticorum navigantium, ut interpretantur, qui Calepini vocabularium auxerunt: ſed de proximè ineunda navigatione. Tunc etenim vim alliorum, adverſus iniquiorem aerem, & ſalſos maris vapores, includebant retibus, ne aliter concluſa computreſcerent, & in naves conjiciebant. *Mallem allium oboluiſſes*: præclara fuit reſponſio Veſpaſiani Cæſaris apud Svetonium ad comatulum & odoribus perfuſum Adoleſcentem, qui Præfecturam petebat. Quod effatum ita reddidit Poeta Italus.

O quanti al crivellar cadrian dal vaglio,
Se foſſe vivo il Capitan che diſſe,
Meglio ſaria che tu ſapeſſi d'aglio.

ALLIGATOR. *Colum.* Qui vitem rectam producit in jugum, quod alligatura dicitur.

ALMITAS, &

ALMITIES. Terræ fertilitas. Ab alendo. *Feſt.*

ALVEATI SULCI. Apud Catonem ſunt excavati ad modum alvei, ut aqua defluat.

ALVEUS. *Cato.* Vas aptum ad ferendas radices arborum cum ipſa terra.

AMBARVALIA. *Vopiſcus.* Sacrificia, quibus agri apud Romanos luſtrabantur. Annua erant, authore Servio, & circa fruges ducta porca fœcunda & prægnante celebrabantur. Ambarvalia ab arvis ambiendis nuncupata. Iiſdem præerant Sacerdotes duodecim a Romulo inſtituti, dictique Fratres Arvales. De hoc ſacrificio Virgilius Eclog. 3.

Terque novas circum felix eas hoſtia fruges.

Item Tibullus l. 2. 1.

Quiſquis adeſt faveat: fruges luſtramus, & agros;
Ritus ut a priſco traditus extat avo.

Apud præfatum Vopiſcum Ambarvalia, & Amburbium ſimul referuntur. Diſtinguenda tamen ea ſunt feſta. Nam ſicut ambarvale ab arvis luſtrandis, ſic amburbium ab Urbe luſtrata, ambiente circumductaque victima dicitur. Vide Salmaſium in *Aurelian. Vopiſc.*

AMBIDENTES OVES. Quæ in utraque mandibula dentes habent. *Feſt.*

AMPHORA. *Cic.* Vas futile, utrinque anſatum. Continet congios octo, ſextarios octo & quadraginta. Idem antiquitus quadrantal appellatum. Menſura erat liquidorum. De vino plerumque uſurpatur: apud Horatium mel etiam condit. Vino plenas præmium fuiſſe in certaminibus, & extinctorum etiam cineres aſſervaſſe affirmat Salmaſius *in Solin.* Jacobus Giſelius *in not. ad Gell. l.* 18. *c.* 1.

c. 1. relatus ab Hofmanno ita ſcribit: *ex lapide ſchiſto amphora Romana aſſervatur in Muſæo Kirkeriano Romæ*. Ante annos facile ſexaginta ſtudebam Romæ in Collegio Romano, quod mihi perpetuum fere fuit in omni vita domicilium; nec tamen unquam mihi contigit de hac amphora reſcire quidpiam.

AMPULLA. Vas vitreum, turgidum, & ventroſum, liquidorum conditorium. Oleum præcipuè in balneis olim ſervabat. Sed illuſtri ubique fama pervagatur ampulla Remenſis in Regno Galliæ, cujus oleo inaugurati Reges unguntur. Columbam candidam è Cœlo demiſſam, roſtro eam ampullam attuliſſe in Clodovei Regis baptiſmo Hincmarus, aliique Scriptores teſtantur. Translatè ampullas vocat Horatius verba turgentia, quæ ſoni quidem plurimum, vim vero modicam, vel nullam habent.

Projicit ampullas, & ſexquipedalia verba.

AMPUTATIO. *Cic.* Vide *Putatio*.

AMSEGETES. Apud Feſtum ſunt, quorum agri viam tangunt.

AMURCA. Sedimentum eſt, fæx, & ſanies oleæ amara. Augeri ſeminum fœtus, ſi amurca prius imbuantur, docet Virgilius:

Semina vidi equidem multos medicare ſerentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca,
Grandior ut fœtus ſiliquis fallacibus eſſet.

Ejuſdem conſperſione, ut Plinius monet, ſubiguntur areæ frumentariæ, ne rimis fatiſcant, & a formicis trituræ tempore infeſtentur. Illinuntur etiam amurcæ ſordibus dolia olearia, ne oleum exſugant. Pavimenta etiam horreorum eadem ſuperfuſa vindicabant adverſus tineas, teredines, curguliones, noxiaſque alias beſtiolas.

ANCHARIUS. Aſinum ex Græco ſignificat. Hinc obſcurum Martialis locum ad Theodorum Judæum explicare licet.

Ecce negas, juraſque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, Verpe, per ancharium,

hoc eſt per aſinum, quem ab Hebræis adorari Ethnici

opinabantur. Nam qui Anchialum pro Anchario legunt, & ad Sardanapalum ſententiam referunt, mirè ſe, & Martialis ſententiam torquent.

ANSERARIUM. Ubi anſeres detinentur. *Colum.*

ANTEURBANA PRÆDIA. Quæ Urbi adjacent. *Feſt.*

ANTES. Primi ordines vinearum, vel maceriæ, quibus vinea clauditur. *Virg.*

Jam canit extremos effœtus vinitor antes.

ANTLIA. Organum ad aquam hauriendam. Reos olim ad ſentinam, vel ad aliam quomodolibet aquam exhauriendam damnatos habemus ex Svetonio in *Tiber.*

ANTRÆ. Arborum intervalla. *Plin.*

APER. Porcus ſilveſtris, de quo Juvenalis:

Animal propter convivia natum.

Fuit olim magnopere quæſitus inter menſarum delicias. Martialis laudat inprimis apri glandulas & lumbos:

Ter poſcis apri glandulas, quater lumbum.

Ex ſolo apro menſam regiam adornavit coquus Alexandri Magni, multa ex eodem commentus eduliorum genera. Aprugnæ porro carnis farcturas varias enumerat Varro. Quærant quibus doctior gula imperat. Arridet mihi Areoſtus Satyr.

In caſa mia mi ſa meglio una rapa,
Ch'io cuoco, e cotta ſu un ſtecco l'inforco,
E mondo e ſpargo poi d'aceto e ſapa,
Ch'in caſa d'altri o tordo, o ſtarna, o porco
Cignale.

APICÆ OVES. Apud Plinium ſunt parum lanoſæ, & ventre nudo.

APOLLO. Latonæ & Jovis filius. A Pane paſtorum Deo didicit vaticinandi artem. Ob inopiam miſerrimè victitans operam ſuam locavit Admeto Regi Theſſaliæ, cujus boves pavit, ut inter alios refert Horatius. De eodem Poeta Italus:

Alla cortina ricorrean le genti,
Ma l'Oracolo ſuo paſcea gl'armenti.

Ipſe

Ipſe etiam paſtorum & ruſticorum Deus habitus. *Virg. Eclog.* 5.

Ipſa Pales agros, atque ipſe reliquit Apollo.

Idem *Georg.* 3.

Te quoque magna Pales, & te memorande canemus,
Paſtor ab Amphryſo.

APPLUDA, Æ. *Plin.* Purgamentum frumenti, milii, panici, & ſimilium.

AQUA. Vide *Ciſterna.*

AQUÆLICIUM. Inſtrumentum ad eliciendam aquam pluviam. *Feſt.*

AQUALICULUS. Vas, ubi immundæ beſtiæ, porci præcipuè ſorbent. *Feſt.*

AQUARIUM. Fons, vel piſcina, quò animalia potum aguntur. *Cato.*

AQUATICI FRUCTUS, qui aqua creſcunt, vel gaudent. *Plin.*

AQUILEGIUM. Collectio aquæ pluviæ. *Plaut.*

AQUO, as, & AQUOR, aris. Non ſolum caſtrenſe eſt verbum, ſed commune aliis miniſteriis urbanis & ruſticis. Eſt autem haurire aquam, vel hauſtam deferre ad uſus varios. *Curt.*

ARANEUM. Vitium in olivis & vitibus, cum fructus telis araneorum involvuntur, & pereunt. *Plin.*

ARATIO. Non ſolum arandi actum, ſed agrum ipſum ſæpe ſignificat; quod eſt commune non unis nominibus deſinentibus in *io*, ut optimè obſervat Valla. Ad hunc modum ambulatio non ſolum actum ambulandi, ſed ipſum indicat ambulandi locum, puta xyſtum vel porticum. Plin. *Naſcitur in arationibus*: ideſt in agro arato. Vide *Aratrum.*

ARATOR. Vide *Aratio* & Aratrum.

ARATRO, as, & contractè Arctro, as. Iterum proſcindere aratro ſegetes natas, majoris ubertatis gratia. *Plin.*

ARATRUM. Inſtrumentum ruſticum notum, quod omnium eſt validiſſimum ad terram vertendam. Deſcribitur nitidè per partes a Virgilio in *Georg.* Aratri partes ſunt, vomer,

mer, ideſt ferramentum cuſpidatum, cujus impreſſione terra finditur, & aperitur in ſulcos; buris, ideſt curvamen illud, cui vomer inſeritur; & ſtiva, quam arator manu apprendit. Si in urbem aratrum & aratio in pœnam inducebatur, civitatis jura amittebat. Ita *Modeſt. l.* 21. & Horatius:

——— iræ altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditus; imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

Quemadmodum vero in evertendis urbibus, ſic etiam in iiſdem condendis, & præcipue in deductione coloniarum, aratrum adhibebatur. Tunc enim Triumviri, a Senatu ad id creati, cincti ritu Gabino, ideſt togæ parte velato capite, bovem & vaccam jungebant; arreptaque aratri incurva ſtiva, ſulco circumducto, muros definiebant. Sed redeamus in circum rei ruſticæ. Terna quotannis aratione terra ſubigebatur apud Romanos. Primum vere: *Virg. Georg. l.* 1.

Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & zephyro putris ſe gleba reſolvit,
Depreſſo incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.

Huic arationi præerat Vervactor inter Divos agricolas primo proinde loco habitus. Vervactor autem dictus a vervacto, quod eſt terra primum arata, ideſt vere acta. Secundæ proſciſſioni, quam redarationem & iterationem vocabant, præerat Deus alter Redarator appellatus. Arationem tertiam dicebant *Lirare*. Eidem præſes erat Deus Imporcitor, ſic notatus a porca, nempe lira, ideſt terra inter duos ſulcos elata. Virgilius quartæ arationis meminit:

Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit.

Cæterum aratio, ut impendio laborioſum eſt opus, ſic ubertati agrorum curandæ apprime proficuum. Tria, ajebat

bat Cato, obſervanda diligenter eſſe: primum agrum colere, iterum arare, tertium ſtercorare. Aratri inventum varii variè deſtinant. Cereri, Triptolemo, Minervæ, Oſiridi adſcribitur. Verum Moyſes illis antiquior non ita pauca huc habet ſpectantia; ut cum *Deuteron.* 22. 10. vetitum refert aratro aſinum & bovem jungere. Sed etiam altius repetenda eſt aratri origo, aut ſaltem ejuſdem rudimentum. Certè cum ſummus Orbis Conditor rerum creatarum principatum primis Parentibus impertivit, conſectaneum fuit, Cainum, agricolam omnium antiquiſſimum, ad terræ uſus boves junxiſſe, juxta illud Pſal. 8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas*. In illuſtrem parœmiam abiit effatum Plinii: *Arator, niſi incurvus, prævaricatur*. Docemur, vix quidquam lucro vel laude dignum conſequi eos poſſe, qui opus & laborem refugiunt. *Arare litus*: aliud eſt adagium in eos, qui inani opera laborem impendunt. Nos tria ejuſdem notionis proverbia ſic uno olim verſu junximus *Satyr.* 10.

Litus aras, mulges hircos, & perfodis Iſthmum.

ARBOR. *Cic.* Planta major, ramis ad inſtar brachiorum extenſis aſſurgens. Appoſitè ſcripſit Plinius: *Summum homini bonum datum, arbores*. Ab arvis dicitur, quoniam iis inhæret fixis radicibus. Quæ pars terra tegitur, radix appellatur: ex radice truncus, ſeu codex; ex ramis ſurculi; ex ſurculis frondes, & flores, ac ſubinde fructus, vel baccæ exeunt. Glandiferis olim ſatis beatè victitatum, ſi Mythologis credimus. Ejus generis hodie cæduis utimur. Grandeſcunt aliæ mirum in modum, ut pinus, abies &c. Gaudent aliæ fluviorum, quos inumbrant, allapſu, ut populi & ſalices. Sunt quæ noxias umbras projiciunt, veluti taxi & nuces, quæ idcirco ad agrorum vel vinearum crepidines, ſecus viam feruntur. Quædam radicibus latæ porrectis nocent, ut morus, quæ ab hortis & vineis procul eſt abigenda, ne debitum vitibus humorem abſorbeat. Quemadmodum aliæ

aliæ alios progignunt fructus, ſic aliæ aliis locis aptantur, juxta illud Virgilii,

——— *non omnis fert omnia tellus.*

Quæ baccas, & duriores pariunt fructus, annoſæ magis ſunt; quæ molliores procreant, ætatem non ferunt. Deos, Deaſque arborum præſides Ethnici coluere. Frugiferarum Pomonæ & Floræ patrocinium fuit. Silveſtribus Fauni, Panes, Satyri, Silvani adſcripti. Napææ, Dryades Hamadryades Nymphæ cuſtodes additæ, quas arbores ipſas inhabitaſſe creditum. Quinimo ipſæ arbores migrarunt in Numina, a Cananæis ad gentes alias manante cultu. Hinc Hæbræis vetitum juxta Altare arbores ſerere. *Deuteron.* 16. *Non plantabis lucum & omnem arborem juxta Altare Domini Dei tui.* Statuebant arbores fines agrorum; ſed plerumque inculti deſertique erant ſtipites, Finales & Terminales dicti; ſupplebantque Terminos ipſos, Hermas, & ejuſmodi terminales cippos: *Tibull. l.* 1. *Eleg.* 1.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris.
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Quod inſuper diſcimus ex Sacris Paginis Pſal. 104. *Et contrivit lignum finium eorum*, ex memorato Tibulli loco adverte impenſum iis cultum appoſitis coronis floreis. Eaſdem arbores inciſis notis fines demonſtrare conſueviſſe, Siculus Flaccus, aliique memorant. Verùm Paſtores amaſii præcipuum in modum & frequentius notabant arbores amatoriis inciſis verſibus, ut iiſdem perlectis, eo magis Nymphæ ad eorum amorem incenderentur. Ovid. Epiſt. Æn.

Populus eſt, memini, fluviali conſita ripa,
Eſt in qua noſtri littera ſcripta memor.
Popule, vive, precor, quæ conſita margine ripæ,
Hoc in rugoſo cortice carmen habes.

Audi Paſtorem apud Sanazzar. Eclog.

Scriſſi i miei verſi ſu le poma Puniche,
E toſto diventar ſorbe e corbezzoli;

Sì

Sì ſon le ſorti mie moſtroſe ed uniche.

Ejuſdem generis notæ in inſanum furorem dederunt Orlandum: Areoſt. Cant. 23.

Volgendoſi ivi intorno vide ſcritti
Molti arboſcelli in ſu l'ombroſa riva;
Toſto che fermi v'ebbe gl'occhi e fitti,
Conobbe eſſer di man della ſua Diva.

Conſtat etiam pœnæ genus arbores extitiſſe. Ramalibus violenter inflexis, & mox diſſilientibus, diſcerpta alligata corpora, non unis traditur faſtis. Hoc ſuplicio Beſſus Darii interfector, Alexandri Magni juſſu, vivere deſiit. Scio tamen ejus mortem a Diodoro Siculo, & Curtio aliter enarrari. Extra controverſiam eſt, Romanos, præſertim in Caſtris, ſuſpendio in reos frequenter uſos. Hinc formula illa feralis horrendique Carminis, a Livio ſæpius iterata:

I, Lictor, manus alligato, caput
Obnubito, arbori infelici ſuſpendito.

Quod ſi notam infamiæ aliquam ejus atrocitate pœnæ arbores contraxere, Chriſti Domini Reparatoris noſtri morte, non ſolum deterſa & abolita illa eſt, ſed in ampliſſimum gloriæ cumulum verſa. Quamobrem de triumphali Crucis arbore meritò Eccleſia Catholica triumphans ipſaconcinit:

Crux fidelis, inter omnes
Arbor una nobilis:
Silva talem nulla profert
Fronde, flore, germine.

Arboribus debere nos præcipua vitæ præſidia, nemo inficias iverit. Ut enim prætercam excuſſas quercus glandeſque lauta alimenta feliciſſimis illis primiſque mortalium miniſtraſſe, ex arborum ſolum fructibus vitam ſuſtentare prolixam populorum ſeriem Strabo, Herodotus, Plinius, aliique tradiderunt. Ad eumdem modum habitacula ſolæ olim præſtiterunt arbores. Neque enim aliter, quàm contextis arborum truncis, ramalibus, & viminibus, ſe ab æſtu, imbribus, & rigore hiemis tuebantur.

tur. Quamobrem, cum ſoli errarent per nemora, & truncis arboreis tegerentur, ut procreati ex arboribus dicerentur, meruere: *Virgil.*

Genſque virûm, truncis, & duro robore nata.

Ipſis demum indumentis plantarum beneficio utimur. Non advoco rudis antiquitatis inculta tempora, cum arborum corticibus foliiſque corpora tegebantur. Notum eſt ſilvas lanificio nobilitari; illuſtreſque populos frondium canitiem depectere ad uſus ſericos. *Virg.*

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana,
Tenuiaque ut foliis depectant vellera Seres?

Vetus eſt, & omnium ore tritum adagium: *Ad arborem dejectam omnes accurrunt, ut ligna colligant.* De iis effertur, qui proficiunt impune aliorum damnis & infortuniis.

Arborarius, a, um. *Plin.* Quod pertinet ad arbores, ut aves arborariæ, quæ nidificant in arboribus; fungi arborarii, qui in arboribus naſcuntur.

Arbustum. *Colum.* Locus arboribus conſitus, præcipuè populis & ulmis, quæ omnium aptiſſimæ ſunt ad vites maritandas; aditumque iiſdem præbendum, ut in ſublime ſe efferant; ſunt enim ſuapte natura ad ſaliendum mirificè comparatæ, ut ſæpe domorum tecta conſcendant. Hinc vites arbuſtivæ apud Scriptores rei ruſticæ, quæ jugantur arboribus. Sunt qui arbuſtum dicunt etiam arboretum; verum id parum Latinè dictum monet Quadrigarius apud *Gell. l.* 17. 2.

Arcifinius ager, idem aliis Arcifinalis. Ab arcendis hoſtibus dicitur a Varrone. Explicatur variè. Ajunt alii, agrum vocari arcifinium, qui certis lineis non continetur; ſed ejus fines arcentur interventu ſilvarum, montium, vel fluviorum. Siculus Flaccus ſcribit, agros ab hoſtibus occupatos arcifinales appellari, quoniam inductis legibus & juriſdictione poſt eorum diviſionem, & exortis poſtea litibus, propinquos arcebant. Idem Siculus eos agros occupatorios nuncupat, propterea quòd ab hoſtibus

ſtibus occupati in eorum jura tranſeunt. In his agris nullum erat jus ſubſecivum. Dicuntur autem in agris ſubſeciva, particulæ, quæ in diviſione, veluti reliquiæ, ſuperſunt. Vel potius agri, qui in diviſione non efficiunt centuriam, ideſt ſpatium jugerum ducentorum. Apud alios Agrimenſores veteres ſubſecivi ſunt ſteriles, vel paluſtres, atque eam ob cauſam rejecti.

AREA. *Colum.* Quaſi arida dicitur, quoniam ab ardore Solis areſcit; eſt enim ſpatium ſubdiale, ædificiis vacuum. Apud Nos duo ſignificat; planum in agris ſubactum, ſatis & ſtipitibus nudum, quod cylindro probè exæquatum, in medio agrorum ad frumenti trituram relinquitur. Iterum areæ, & areolæ in hortis vocantur ſpatia & diviſuræ, comparatæ ad herbarum, olerum, & florum ſemina excipienda.

AREATOR. *Colum.* Qui aream purgat.

AREPENNIS. *Colum.* Menſura agrorum dimidii jugeri.

ARIES. Mas ovium, integer, creandæ ſoboli aſſervatus. Arietem in fines hoſticos immittebat Fecialis olim, bellum indicturus apud Romanos. Inde emanavit vetus ſermo: *Arietem emittit*. Uſurpatur in rixam verbis aſperis inchoantes. Cœleſte ſignum, quoniam aliorum eſt ductor, ut aries ovium, aries appellatur. Mythologi fabulantur eum fuiſſe arietem, quo, aureo vellere inſigni Phryxus Helleſpontum tranſmiſit. *Manilius l.* 4.

Cum vitreum findens aurato vellere pontum,
Orbatumque ſua Phryxum poſt fata ſorore
Phaſidos ad fluctus & Colchica regna revexit.

Qui hiſtorias ab involucris fabularum eximunt in diverſa trahunt aurei velleris arietem illum. Commentos id aliqui affirmant, quoniam Phryxus Helleſpontum trajecerit navi, cujus teſſera & pareſimon aries erat in prora depictus. Alii coloris purpurei lanam auream interpretantur. Nonnulli eo ariete librum indicari contendunt, qui Chryſopejæ, ideſt auri conficiendi rationem doceret; ejuſque in Colchide aſſervati amore incenſum Jaſonem

expeditionem illam nauticam, cum aliis argonautis ſuſcepiſſe. Poſtremo ſunt qui ſcripſerunt, Jaſonem ad Colchos navigaſſe, ut potiretur theſauris, quos Phryxus, Athamantem & novercam fugiens, illuc ſecum aſportavit. Jovem in arietem fuiſſe converſum Fabulatores memorant, & nummi plures teſtantur. Confictum id, ut ejus potentia deſignaretur inflexis tortiſque arietis cornibus. *Manilius*.

——— *arieſque in cornua tortus*.

Cornibus autem potentiam demonſtrari, Sacræ etiam Litteræ ſæpius addocent.

Arinca. *Plin.* Frumenti genus. Idem ac ſiligo.

Arista. *Cic.* Pars extrema ſpicarum, aſpera aculeis, quibus frumentum tuetur a morſu minorum avium. Ab ariditate dicitur, quoniam facile areſcit.

Armentum. *Virg.* Dicitur a Columella quaſi aramentum, quia boves arationi adhibentur: *Jumenta & armenta nomen a re traxiſſe, quòd noſtrum laborem vel onera ſubvectando, vel arando juvarent*. Mihi venit in mentem ſuſpicari, dici potius ab armis, ideſt humeris, quos prævalidos habent, aptoſque labori ferendo. Sicut grex de ovibus dicitur, ſic armentum de animalibus molis grandioris, ac præſertim de bobus & equis. Animadverſum eſt animalia, quæ ferocia præſtant, ſola excurrere & divagari, imbecilla turmatim, quaſi numero audaciam ſupleant. Obſervare idem licet in avibus: aquilæ & vultures vix umquam aſſociatæ volitant; Columbæ & minores aliæ conglobatæ aerem permeant.

Armille, aliis **Armillum**. *Varro*. Vas vinarium, ab armo, ideſt humero, quo geſtabatur. *Redit ad armille*: Adagium in bibaces, qui ad vini odorem accurrunt.

Arvales Fratres. Vide *Ambarvalia*.

Aruncus. *Plin.* Villus dependens a mento caprarum.

Arundo. Frutex aquarius, dictus ab arendo, quod facile areſcat. Ex eodem fit muſicum agreſte inſtrumentum, quod fiſtula appellatur. *Virg. Eclog. 6.*

Sil-

Silveſtrem tenui meditabor arundine Muſam.
Vide *Fiſtula*.

ARUNDINETUM. *Plin.* Locus arundinibus conſitus, præcipuè ad uſus vitium. Gaudent aquoſis locis, propter ariditatem, cui facile ſunt obnoxiæ.

ARUNDULATIO. *Varro*. Connexio, & jugatio arundinum ad uſus varios.

ASCOLIA, orum. Feſtum ruſticorum apud Athenienſes: Fiebat pelle detracta a Capro, ſuper qua in utrem conflata uno pede ſaltabant. *Virg. Georg.* 2.

——— *unctos ſaliere per utres.*

Feſtum erat Baccho dicatum; ideo caprina pelle celebrabatur: eſt enim caper vitibus vehementer infeſtus.

ASILUS. Vide *Tabanus*.

ASINUS. Non dicitur ab aſſidendo, ut habet Feſtus; ſed eſt omnino vox Græca, Latinis *ſine noxa*, ut optimè notavit Heinſius *Encom. Aſin.* ſtupidum inprimis, iners, ignavumque animal; ut merito Horus hominis effigiem cum aſinino capite ignaviæ typum protulerit. Cæterùm vectandis oneribus & labori unicè natum; ideoque ruſticorum auxiliator, vitæque & domicilii ſocius & contubernalis. Sed & aratores aſinos legimus apud Varronem, Columellam, & Plinium. Adjice verſus Antholog. *l.* 1.

Cur, ubi flaventes dives terit area culmos,
Additur alipedi tardus aſellus equo?

Ubi vides etiam ad trituram adhibitos. Deorum cultu apud regiones aliquas decoratos a pluribus eſt literis conſignatum. Sed & Romanis eam inſaniam exprobrat Minutius Felix *in Octav.* Licèt autem plerumque ſarcinarii & ſagmarii oneribus deſervirent, atque humili fere ſolum loco nato, ſeſſores habuerint, conſtat tamen primariæ nobilitatis viros aſinis vectos. Frequens ea vectura apud Arabes, qui eoſdem ſtragulis elegantibus ſternunt, & more gradario condocefactos incedere, equorum inceſſu potiores habent. Notum eſt præterea nobiliſſimos quoſque apud Hebræos, Abraham, Moyſen, Profetas alios

alios aſinis devectos. Sed veteribus Patriarchis longè clariùs eoſdem nobilitavit Chriſtus Dominus in triumphali ſuo in Urbem Jeroſolymam ingreſſu Matth. 21. *Et adduxerunt aſinum & pullum, & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt.* Plurimis adagiis locum aſinus fecit. Pauca ſeligo. *Ab aſino lanam:* jactatur in eos, qui ſtulti quærunt, quæ nuſquam inveniuntur. *Aſinus ad lyram:* in imperitos, & bonas artes faſtidientes. *Ab aſinis ad equos:* cum a re humili ad nobiliſſima quæque gradum facimus. *Aſinus compluit.* In eos qui objurgationibus nihil commoventur; a cutis aſininæ duritie, quam pluvia non offendit. Bellatores demum fuiſſe aſinos, & ſtrenuam ſeſſoribus in prælio miniſtraſſe operam, plurimis veterum documentis eſt proditum. De his vide multa apud nos in Lexic. Milit. *Aſinus.* Addo, quod eſt fabulis proditum, cum Gigantes bello Jovem Deoſque laceſſerent, Sileni aſinum rudere cepiſſe; quo clamore audito eoſdem perterrefactos, in fugam fuiſſe converſos; aſinum vero, tot tantique nominis bellatorum domitorem, inter ſidera fuiſſe relatum.

Assero, is. Sero. *Plautus*, *Cato*: hanc acceptionem hujus verbi non adverterunt Lexicarii etiam nuperi.

Astaphis, idis. *Plin.* Uva paſſa.

Attegiæ. Mapalia, tuguria. *Juven.*

Dirue Maurorum attegias.

Avena. Tritici abortus; cæteroqui foliis & culmo herba eidem ſimilis, in ejuſdem culmi ſummitate ſemen expromens. Equorum eſt vulgare pabulum. Advertit Salmaſius Plinii lapſum, qui nudam eſſe avenam ſcripſit *l.* 18. *c.* 4. *Tunicæ frumento plures. Hordeum maxime nudum, & arinca, ſed præcipuè avena.* Tunica certe grano adſtricta avena non caret. Sumitur a Poetis avena pro fiſtula, muſico paſtorum inſtrumento. *Virg. Eclog.* 1.

Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.

Item pro vacuis ſegetum culmis. Idem ibidem:

——— *ſteriles dominantur avenæ.*

Ave-

Avenam Calepinus dici putat, quoniam ad frugem non veniat, ut ſit vox hybrida, ex verbo Latino *Venio*, & initiali Græcorum malignante littera coaleſcens. Martinius appellari exiſtimat, quoniam ea pecudes, ac præſertim equi veſci aveant. Eſt omnino amplius inveſtigandum in hoc Etymo.

AVIARIUM. Pars villæ concluſa & adaperta, ubi aves & altilia omnis generis aſſervantur. Sine admiratione legi non poteſt, quod de eorum amplitudine apud Romanos Varro ſcriptum reliquit. Vix credibile eſt quod memorat de Aufidio Lurcone, cujus aviarium bis tantum annui proventus reddiderit, quantum ducentorum jugerum fundus. Primus Romanis aviaria monſtravit M. Lælius Strabo, de quo Plinius: *Ex eo cepimus carcere animalia coercere, quibus natura Cœlum aſſignaverat.*

AVULSIO. Duplex eſt genus arborariæ ſationis. Sunt arbores, quæ circa radices minimè ſoboleſcunt; ſed creſcunt ſolitariæ, ut cupreſſus, palma, pinus, abies. Aliis contra enaſcuntur circa radices, & ſuccreſcunt ejuſdem generis malleoli, coliculi, & paxilli; ſunt enim prolificæ, & prolixis radicibus extentæ. *Virg.*

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſilva,
Ut ceraſis, ulmiſque; etiam Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra.

His præjactis, ſatio per avulſionem eſt, vel cum præciditur pars radicis ex arbore prolifica, vel cum evellitur paxillus, vel malleolus cum radice, juxta truncum arboris prolificæ ſubortus, ad novam germinationem in arborem. *Virg.*

Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis.

Commemorati coliculi, vel malleoli, fruticantes circa radices arborum, dicuntur ſtolones, vel notione Græca, quoniam emittuntur; vel a Stolone viri nomine, ut refert Varro. Quoniam vera ea fruticatio paxillorum inutilis eſt, niſi convellantur, idcirco nomen ſtolonis

pro

pro ſtolido accipi ſolet. Addo, ſtolones ipſos facile a ſtoliditate dictos, quoniam inutiles ſunt, niſi præcidantur, ut eſt explicatum.

B.

BACCA. Propriè dicitur de fructibus lauri, mirti, oleæ, & ſimilium: generatim de iis, quæ poma minora ſunt, & intus lignum, extra corticem habent. Diſcrimen inter baccas & acinos notavi in *Tit. Acinus*. Baccas translatè appellamus margaritas: *Ovid.*

Aure leves baccæ, redimicula pectore pendent.

Monilia quoque baccata paſſim efferimus. Hinc etiam apud Petronium tribacca tres ſunt uniones auro inſerti: ſed is Petronii locus ab aliis aliter legitur.

BACCHUS. De Bacco, ut de aliorum Deorum genealogia, Mythologi diverſis pugnant ſententiis. Jovis & Semeles filium plerique Bacchum affirmant. Agri colendi rationem primum omnium Ægyptios docuiſſe, teſtatur Dionyſius. Neque enim vitem ſolum & vinum, cujus cauſa lætitiæ inventor & largitor eſt habitus, ſed alia inventa, ad terræ culturam pertinentia, ad eumdem referunt. Ea omnia nitidè complexus eſt Tibullus ſub appellatione Oſiridis, quo etiam nomine Bacchus eſt nuncupatus.

Primus aratra manu ſolerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſolicitavit humum:
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque cum notis legit ab arboribus:
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam:
Illi jucundos primum matura ſapores
Expreſſa incultis uva dedit pedibus.

He-

Hedera coronatus Bacchus fingitur. *Ovid. Faſt. 6.*

Bacche racemiferos hedera redimite capillos.

Optimo id conſilio a Fabulatoribus traditum: nimirum ut hedera, vino infeſta, & quæ ebrioſis mederi, ad ſanamque mentem ſolet reducere, antidotum ſit adverſus Deum vinoſiſſimum, eoque immodice hauſto actum in furorem. Alii contra Bacchum ſibi coronamentum hederaceum aſciviſſe ſcribunt, ut ejus frondis temperamento ſecurior, produceret ſibi liquoris gratiſſimi hauriendi voluptatem.

BACRIO, onis. Vas vinarium, ſimile trullæ. A Baccho ducit Feſtus. Sed alii contra putant aquarium. Vide *Hofmann. in Tit. Bacario.*

BALANUS. Voce Græcanica comprehendimus quidquid glandis nomine deſignatur. Singulari modo arbor eſt, quæ, folia myricæ ſimilia ferens, glandem, myrobalanum dictam, progignit. Ex ea glande oleum & unguentum conficitur gratiſſimi odoris, cujus Horatius, & alii meminerunt.

BATILLUM. Apud Varronem duplici ſignificatu gaudet in re ruſtica. Inſtrumentum eſt meſſorium incurvum cum ſerrula ferrea, quæ apprehendit & diſſecat faſcem ſpicarum. Eſt etiam inſtrumentum, quo ſulci & foſſæ aperiuntur.

BELLUM RUSTICORUM. Plurima a ruſticis ſuſcepta bella recenſentur. Viriatus Luſitanus annos quatuordecim Romanos ruſticano milite defatigavit. In Hungaria, Germania, & Belgio exarſere ſæpius adverſus milites veteranos motus bellici catervarum agreſtium, cum ingenti effuſione ſanguinis, & regionum vaſtatione. Licèt enim artis militaris peritia id genus deſtituatur, duritiæ tamen corporum, & laborum aſſuetudine, exercitationem caſtrenſem, & tyrocinii rudimentum abunde ſuplet. Neque enim manſiones ſub pellibus pertimeſcunt, ſub dio ſudare, & rigeſcere aſſueti; minuſque amiſſione vitæ terrentur, nullis vitæ deliciis & molliſſimo cultu enerves & hebetati. Non ſunt metuendæ ſeditiones ruſticæ, ubi jus

BIBLIOTECA NAZIONALE

ſuum rigoremque ſervat diſciplina militaris. Licentia, & impunitas exercitus commeantis, furta, & injuriæ, in trajectu copiarum cultores agrorum armant, exſtimulantque ad expetendam, quo modo poſſunt, damnorum, noxarumque ultionem. Nullæ extarent querelæ, nedum tumultus & bella ruſticorum, ſi Præfecti militares Aureliani Cæſaris monitum, quod apud Vopiſcum, legitur, obſervarent: *Si vis Tribunus eſſe, imo ſi vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat: ovem nemo contingat: uvam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: oleum, ſal, lignum nemo exigat: annona ſua contentus ſit. De præda hoſtis, non de lacrymis Provincialium habeat.*

BES, eſſis. Menſura continens octo partes jugeri, in duodecim partes diviſi. *Colum.*

BIDENS. Inſtrumentum foſſorium duos dentes habens ferreos & prælongos, cum ligneo manubrio. *Feſt.*

BIPALIUM. Inſtrumentum foſſorium, quo terra ligone profundius eruitur. *Varro.*

BIPENNIS. Inſtrumentum ruſticum ſimul & bellicum, præfixum ferro utrinque acuminato cum ligneo manubrio. Ruſtici utuntur ad ligna cædenda. *Virg.*

——— *ſonat icta bipennibus ilex.*

Apud bellatores validum eſt armorum genus, inventum ab Amazone Pentheſilea. *Claud.*

Thermodoontiaca Tanaim fregere bipenni.

Diſtinguitur a ſecuri, quæ ex una tantum parte aciem, habet. Quod ſi utrinque ſit acie inſtructa, aſſociatur bipenni nomini adjectivo: *Varro*; *ferens ferream bipennim ſecurim*. Proinde falluntur, qui telum undique ferro acuminatum, & longiore haſta manubriatum, quod vocant *Alabarda*, Latine reddunt ſimpliciter *ſecuris*. Bipennis vocatur, aut ſecuris bipennis. Dicitur bipennis a pinna, quæ Latinis acumen eſt.

BOS. Animal labori ferendo, ruſticoque operi univerſo probe a natura comparatum. Si agri cultorem dixeris, & co-

& colonum, dicto theta nigrum non præfigam. Poſtquam aratione & vecturis alimenta nobis & adjumenta ſatis ſuperque præbuit, ſuarum eſu carnium, prævalido nutrimento nos paſcit. Uſqueadeo veteres bovini armenti rationem ducebant, ut apud Phryges, teſte Plinio, morte mulctaretur, qui bovem interfeciſſet. Idem lege ſancitum apud Athenienſes, & Peloponneſiacos. Phœnices vero & Ægyptii humanis carnibus, quàm vacca veſci, ſatius habebant. Adſtrue Pythagoram, qui, ut ſcribit Laertius, a bove & ariete abſtinendum eſſe præcepit. Quod Veterum inſtitutum indicavit. *Virgil.Georg.2.*

Ante etiam ſceptrum Dyctæi regis, & ante
Impia quam cæſis gens eſt epulata juvencis.

Claudat agmen Columella, qui ſcriptum reliquit, tantam fuiſſe olim boum venerationem, ut non minus capitale eſſet, bovem mactare, quam civem. Sed rudis agreſtiſque ſæculi rigorem illum antiquavit ſanior ætas, & ratio congruens vitæ commodius, & lautius proferendæ. Primus, ſi Plinio credimus, Prometheus bovem morſu attingere auſus. Verum, rejectis Fabulatorum ſomniis, a ſupremo rerum Conditore conceſſæ nobis addictæque ſunt bovinæ carnes in alimoniam: *Deuteron. c.* 14. *Hoc eſt animal, quod comedere debetis, bovem, & ovem, & capram.* Addo vix aliis carnibus olim uſos in nuptiis, feſtiſque aliis, ac præcipue Heroes. *Virg. l.* 8.

Veſcitur Æneas, ſimul & Trojana juventus
Perpetui tergo bovis.

Mactatis, & diſciſſis, atque adeo conciſis bobus Veteres ferire fœdera conſueviſſe, dubitari non ſinit Homerus, ubi deſcribit fœdus initum inter Achillem & Agamemnonem. Idem apud Moloſſos uſitatum, ut refert Suidas. Minime præterea contemnendam nobis impendunt operam boves vecturis. Neque enim carrucariis & plauſtrariis ſolum iiſdem utimur, verum etiam gerulis. Ut a profanis Scriptoribus abſtineam calamum, ſatis habeas quod legitur *Paralip. c.* 12. *Qui juxta eos erant, uſ-*

que ad Iſſachar, & Zabulon, & Nephthali, afferebant panes in aſinis, & camelis, & mulis, & bobus ad veſcendum. Addo ex Ariſtophane *in Acarn.* boves integros ſolidoſque, quod admodum mirabile eſt, excoctos fuiſſe in clibano, qui furnus eſt geſtatorius: adſcribo Poetæ verba:

——— deinde præbuit
E clibano totos boves: ecquis rogo
Conſpexit umquam clibano coctos boves?

Pars pompæ in triumphis Romanorum erant boves albi, qui ad ſacrificium ducti inauratis cornibus, victiſque & ſertis floreis revincti, tibicines ſequebantur. Addo lepidam bovis immolandi querimoniam, ut legitur apud Arnobium: *Ergone, o Juppiter, aut quis alius Deus eſt, humanum æquumque fuerit, ut, cum alius peccaverit, ego occidar, & de meo ſanguine fieri patiaris ſatis, qui numquam te læſerim, neque tuam majeſtatem violaverim, animal, ut ſcis mutum, naturæ meæ ſimplicitatem ſequens &c.* Illud poſtremo etiam jocoſe jactatum a bobus, quos Marcus Cæſar mactandos voverat, ſi viciſſet: *Si tu viceris, nos periimus*.

BOTANISMUS. Prima herbarum runcatio. *Plin.*

BOVILE. *Colum.* Stabulum boum. Vide *Stabulum*.

BRISA. *Colum.* Maſſa vinaceorum, vel uva calcanda.

BRUCHUS, vermis ex genere locuſtarum, herbas, ac præcipue braſſicas erodens, ex quo ejus appellatio apud Græcos: nam a purgati Latii Scriptoribus ea vox, quod ſciam, non eſt uſurpata.

BRUSCUM. Tuber arboris, intortum & criſpatum. Nam quod ſimplicius ſparſum eſt, molluſcum dicitur. *Plin.*

BUBALUS. Exponitur paſſim bos ferus, ſilveſtris, idem ac urus. Imperiti tamen vulgi id eſſe ſcribit Plinius: bubalum vero aliud eſſe affirmat animal, quadam cervi vel vituli ſimilitudine. Vide *Urus*.

BUBSEQUA. Boum paſtor, qui boves ſequitur, ut apparet ex ipſa voce. *Apul.*

Bu-

BUBULCUS. *Cic.* Qui boves paſcit, vel arat bobus. Ad bubulci miniſterium illuſtrandum nihil neceſſe eſt cum Baccho, Endimione, & aliis, ipſum Apollinem recenſere, qui Admeti Regis boves paverit. *Horat.*

Te, boves olim niſi reddidiſſes
Per dolum amotas, puerum minaci
Voce dum terret, viduus pharetra
Riſit Apollo.

Abunde dignitatis & laudis bubulcis impertitum eſt in Sacris Paginis a Samgar, qui, ſtiva cum ferreo vomere arrepta, ſexcentos Philiſtæos percuſſit. *Judic. c. 3. Percuſſit de Philiſtæis ſexcentos viros vomere.* Utrum vero ſolus Samgar tantam ediderit hoſtium ſtragem, an adjutus manu ruſticorum collecta; iterum an uno pugnæ impetu adverſus omnes ſexcentos, vel per turmas, non uno conflictu ſubeuntes, Interpretes varie deſtinant.

BUCETUM. Locus ubi boves paſcunt, vel detinentur. *Gell.*

BUCOLICUS, a, um. Quod pertinet ad bubulcos, ut carmen Bucolicum. *Ovid.* Vide *Ecloga*.

BUCULA. Vacca juvenis. *Virg.*

BUCULUS. Bos parvus. *Colum.*

BULBI. *Plin.* Radices ſunt rotundæ, & tunicatæ, cujuſmodi habet lilium, narciſſus &c. Vulgo *Cipolle*.

BURA. *Varro*. Et,

BURIS. *Virg.* Pars aratri. Curvamen cui vomer inſeritur.

BURDONES. Occurrunt apud Ulpianum *Leg. 49. tit. de legat.* Muli ſunt qui naſcuntur ex equo & aſina. Vectandis oneribus adhibentur. Hinc vox Italica *Bordone*, quod eſt haſtile viatorium, ab iis uſurpari ſolitum, qui loca ſacra peregre adeunt. Ad eumdem modum baculos, quibus ad firmandos gradus ſeniores præſertim uti ſolent, a mulis vocamus *mulette*, quoniam mularum vicem ſuplent.

BUTYRUM. Pars lactis pinguior, quæ a ſero agitata ſecernitur, & coaleſcit. Laudatur præ cæteris bubulum. Mirum eſt, cum populi Orientis ab omni ævo uſi butyro fuerint, ejuſque paſſim meminerint, quod in Sacris maxime Lit-

Litteris teſtatiſſimum eſt, ejus tamen cognitionem admodum ſero apud Græcos perveniſſe. Conſtat nimirum Poetas Græcanicos innumeris in locis lac & caſeum commemoraſſe, cum de butyro nuſquam locuti inveniantur.

Buxetum. Locus buxis conſitus. Buxo, myrto, junipero, & hujus generis arbuſculis, quæ ad elegantiam & amœnitatem tondentur, marginari ſolent areolæ herbarum & florum in hortis & viridariis; præſtantque concinne directis diſpoſitiſque lineis ambulationes apertas ſub dio, florum odoribus & varietate ſpectabiles.

C

Caballus. *Horat.* Pro quovis equo accipi ſolet: ſed proprie caballos dicimus, qui piſtrino, agriculturæ, & vecturis deſerviunt: ſunt enim equi viliores, & ex Græca nominis origine operarii.

Cadiva poma. *Plin.* Quæ non leguntur manu, ſed ſponte decidunt.

Cadus. Vas vinarium decem congios continens, aptum vino aſſervando & miniſtrando. Moris erat apud Romanos ad fumum ſtatui cados, quoniam, ut ſcribit Columella, vinum fumo celerius matureſcit: adde Statii verba.

Albanoque cadum ſordentem promere fumo.

Oblinebantur etiam cadi pice & argilla; quod primus omnium apud Romanos invexit L. Opimius. *Martial.*

Teſta ſed antiqui felix ſiccatur Opimj.

Ad hunc modum picati cadi, & fumo afflati, ad plures annos vinum cuſtodiebant. Nam a vetuſtate, quemadmodum robur & ſapor, ſic etiam pretium, & quædam vino dignitas accedebat. Inſcripto demum Conſulis nomine cadi ſignabantur, ut ex Petronio, Horatio, & aliis diſcimus.

CÆDUA SILVA, Vide *Silva*.

CÆPA. *Perſius*. Olus ſapore ſuccoque acri, & lacrymas ciente. Inter Deos Ægyptiorum adnumeratum. Familiaris ruſticorum cibus. Olim etiam apud Patricios Romanorum in uſu pretioque habitus. *Varro*: *Avi & atavi noſtri*, *cum allium & cæpe verba eorum olerent*, *tamen optime animati erant*. Apud eoſdem Romanos locum Cæpa habebat inter coronas, quoniam lacrymas eliciendo oculis prodeſſet, ut obſervat Artemidorus. Hinc cæpas edere vel olfacere de iis dicimus, qui lacrymari videntur. Aliter etiam in veteri ſermone eſt: *Cæpa oculos mordet*, ideſt lacrymare cogit. Quæ maxime omnium in caput creſcit, cæpa dicitur capitata. Nam aliud genus, quod ad ſemen ſervatur, & a Plinio vocatur gethyon, oblongo eſt caule; quemadmodum etiam tallæ, quas Lucilius a cæpis diſtinguit:

Flebile cæpe ſimul, *lacrymoſæque ordine tallæ*.

Idem dicendum de Aſcalonio, quod aliud eſt cæpæ genus, vulgo *Scalogna*.

CÆSALIS. Lapis, cæſalis dictus, ſtatuebatur pro agrorum finibus. Tiburtini lapidis nomine efferri ſolet, quoniam ex eo erat, ut ſuſpicor, marmoris genere, quod cæditur in agro Tiburtino. *Dolabella de limit.*

CÆSPES. *Horat.* Terra avulſa cum herba. Muri cæſpititii prædia, vineas, hortos ſæpe concludunt, fineſque ſtatuunt inter finitimos. Declinando ſumptui fieri ſolent pro repagulis ſtructilibus, vel lateritiis. Conſperſi cæſpitis apud antiquos uſus erat in re ſacra; eoque erigebantur altaria. Item in caſtris: nam eodem terræ genere attollebantur aggeres munitorii. Sed & Imperatorium tribunal, editior nempe locus, ex quo Duces verba faciebant ad milites, cæſpitibus erat conſtructum.

CALAMENTUM. *Colum.* Pedamentum eſt, vel fragmentum calami, quo, cum terra avulſa, fiunt muri cæſpititii.

CALAMITAS. *Cic.* Tranſlate paſſim ſumitur pro miſeria & infortunio. Proprie eſt detritio calamorum, cum a ventis, gran-

grandine, turbine, & procella ſuborta, ſegetum culmi comminuuntur. Non abſimili modo ſtrages proprie eſt ſtratarum arborum. Sed & clades a ramis & ſurculis abſciſſis ſimiliter appellatur: nam clades a Græcorum ramo dicitur.

CALAMUS. Frutex aquaticus, idem ac arundo. Sumitur etiam pro quacumque re tenui cavaque; neque ſolum pro ſtipite & culmo, ſed etiam pro ſurculo, breviore palmite, & ſimilibus. Fit porro ex calamis inſtrumentum muſicum paſtorale, fiſtula nuncupatum, cujus inventor Pan perhibetur: *Virg. Eclog.* 3.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit.

CALIX. *Plin.* In floribus pars illa eſt, quæ florem claudit, & paulatim excludit. Cernuntur enim ibi incluſa folia tamquam in vagina, vel vaſe.

CALVATA VINEA. *Cato.* In qua raræ ſunt vites: a capite calvo.

CAMPUS. *Cic.* Proprie eſt planities ampla, quæcumque illa ſit. Falſus eſt Feſtus, ubi ſcribit: *Campus pro agro raro invenitur uſurpatus.* Nam præter Plinium, cujus illa ſunt verba: *Prata inde, campique, quos nonniſi ingentes boves, & fortiſſima aratra proſcindunt*, clare Varro ſic habet: *Quod primum ex agro plano fructus accipiebant, campus dictus.* Erit proinde campus ager planus. Apte Livius l. 4. *Capua a campeſtri agro appellata*; ubi diſtinguit agrum campeſtrem, ideſt planum, ab agro montano vel collino. A capacitate campum etymon ducere plerique ſtatuunt. Nam quæ minus amplæ ſunt planities, fora, plateæ, areæ nominantur. Campi notiones alias alibi quæras.

CANALIS. *Virg.* Dicitur a canna, quoniam ad modum cannæ vacuum eſt conceptaculum, ad uſum aquæ deducendæ. Quamvis ex Palladio habeamus quatuor eſſe derivandarum aquarum modos, *Aqua ducitur aut forma ſtructili, aut plumbeis fiſtulis, aut ligneis canalibus, aut*

fictilibus

fictilibus tubis, certum tamen eſt optime canales dici etiam ſtructiles, fictiles, teſtaceos & marmoreos. Uſus canalium multiplex in re ruſtica, ſed præcipuus ad hortos irrigandos, ut herbæ ſativæ & olera copioſe proveniant.

CANCELLATIO. Apud Agrimenſores idem eſt ac metatio, limitatio, & centuriatio. Per centurias, metas, & limites agri dividebantur: qui limites, quoniam decuſſatim ad modum cancelli interſecabantur, idcirco eam diviſionem cancellationem vocabant. *Frontin.*

CANCELLI. Repagula ſunt lignea, vel ferrea, ducta per directas, tranſverſas, & obliquas lineas, ad modum retis. Fiunt ex iis feneſtræ, portæ, & quæcumque demum ſepta & clauſuræ ad prohibendum aditum, & ad uſum ſpectandi per foramina inter memoratas lineas & trabeculas. Villæ, vineæ, cellæ vinariæ, oleariæ, apothecæ, chortes &c. cancellis, nimirum januis ad eam formam reticulatis clauduntur.

CANDOSOCCUS. Apud Columellam eſt palmes viteus prolixior, in terra defixus, ut in arborem adoleſcat. Propago vitea.

CANIS. Notum animal, ad agendas excubias, rerumque cuſtodiam, opportunum nobis traditum a natura ſubſidium. Ut enim erga Dominos & domeſticos mitiſſimi ſunt, ſic in exteros vehementer infeſti; eoſque latratu morſuque præferoces impetunt. In agris ſilviſque venatici ferarum veſtigia odorantur; iiſque morſu valido retinendis, venatoribus mire deſerviunt. In ſtabulis & paſcuis pecuarii armenta cuſtodiunt; nocturnæque paſtorum quietis ſecuritatem afferunt. Villatici in fures aſſiliunt, frugeſque ſepoſitas tutiſſimas præſtant. Catenarii perdiu catena obligantur, ne hoſpitibus noceant; noctu ſolvuntur in fures. Ejuſmodi emolumenta & promerita, quæ a canibus in genus humanum proficiſcuntur, meruere apud Ethnicos, & præcipue Ægyptios, ut canes inter Deos patrios haberentur. Hinc *latrator Anubis* apud Virgilium; & apud Juvenalem,

Oppida tota canem venerantur.

Adde ſepulcris & titulis cohoneſtatos, teſte Spartiano *in Hadriano*: *Equos & canes ſic amavit, ut eis ſepulcra conſtituerit*. Et nequid honoris & dignitatis cani deeſſet, inter ſigna Cœleſtia canem & caniculam Mythologi retulerunt: *Virg. Georg.* I.

——— *averſo cedens canis occidit aſtro.*

CANNABETUM. Locus cannabe conſitus. Non ſolum funes ex cannabe, ſed etiam veſtes, linteamina, ſacci, & ſimilia, accommodatè ad uſus ruſticos, concinnantur. *Vetus Inſcript. apud Gruter.*

CANNICIÆ CAMERÆ. Occurrunt apud Palladium, qui ſic appellat agricolarum & paſtorum caſas, cannis, ſtramentis, & ſimili materia ruditer ſtructas. *Capanne.*

CANON. Genus ſolutionis apud Spartianum, quæ pro frumento, & oleo reddebatur. Canon regulam ſignificat; nec vero ſemper certas penſitationes notat, & præſtationes onerum, quas ſubeunt qui pecuniam, vel proventus annui partem ſolvunt antiquis poſſeſſoribus ædificiorum, redditusſque agrarii cujuslibet generis: ſed alia inſuper indicat. Canon apud Romanos pars erat frumenti, quæ aſſervabatur in horreis, ut plebi & pauperibus, cogente neceſſitate, ſuppeditaretur pretio viliori. Iterum apud eoſdem Canon vocabatur certum demenſum, ideſt cibi menſura, quam diſpenſator ſervis diſtribuebat. Id autem demenſum panes erant bilibres, vel trilibres in dies ſingulos; vel in ſingulos menſes certa quædam menſura tritici vel farris, quæ largius ſervis agreſtibus & foſſoribus, quam urbanis miniſtrabatur; cum hi laboribus minus exerciti, & domeſticis obſoniis largius victitarent. Apud nos Canones Apoſtolici, Pontificii, Conciliorum, regulæ ſunt & ſanctiones, ad diſciplinam moreſque pie ſancteque inſtituendos præſcriptæ.

CANTHARIS. *Plin.* Beſtiola frumentum arrodens.

CANTHERIUS. *Colum.* Proprie equus caſtratus: Scriptoribus rei ruſticæ eſt viteum pedamentum; quemadmodum apud ſtru-

ſtructores in ædificiis cantherii ſunt trabes, porrecti a culmine uſque ad ſuggrundas. Par in his omnibus eſt ſignificatio nominis. Quemadmodum enim cantherius equus ſuſtinet ſeſſorem, vel impoſitas ſarcinas, ſic cantherii trabes fulciunt tectum, & cantherii in vineis ſuſtinent vites.

CAPELLA. Parva capra. Locus eſt apud Juvenalem *Satyr.* 5. qui ſic legitur.

——— metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere Capella.

Ex hoc loco capras equitationi adhibitas, & quidem in bellicis meditamentis, Interpretes aliqui opinantur; ſed omnino perperam. Plures habet is locus explicationes. Scaligero ſuffragium fero, qui mendoſum verſum emaculat; legitque *hircoſo Capella*, ut Capella ſit proprium Campidoctoris nomen, qui tyronem jaculari doceat. Licet enim Ælianus, & Oppianus ſcribant, alicubi capras enaſci ad magnitudinem bovis; ad eam certe molem perveniſſe capras Latii, ut equitationi, & quidem militari, deſervire poſſent, tam eſt abſurdum, quam quod eſt abſurdiſſimum. Hirſutum vero dixit Poeta Capellam Campidoctorem, quoniam pilis horridiuſculi eſſe ſoleant arma tractantes, quod a Perſio diſerte eſt traditum:

Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum.

CAPITATA VINEA. *Colum.* Cui multum eſt robur in ſtirpibus vitium. Habentur enim radices veluti capita arborum.

CAPRA. A carpendo dicitur, quaſi carpa, quoniam virgulta carpit. Occurrunt de capris rixantia inter ſe Scriptorum teſtimonia. Varro ex iis peſtilentiam enaſci ſcribit, ſi magni ſint greges. Damnant eas alii cum Plutarcho, tamquam fœtidum, laſcivum, morboſumque animal, quamobrem lege cautum fuit apud Romanos, ne Flamen Dialis edere, imo ne tangere auderet carnem caprinam. Certe ſiniſtram ex iis licet capere conjecturam, quoniam ſegregari diſpergique gaudent, cum è contrario oves ſimul coire condenſarique ſtudeant. Ad

hæc ſuo ſæpe damno agricolæ noſcunt, capras novella ſata carpendo corrumpere; earumque ſalivam fructibus eſſe exitioſam. Alii contra mundum animal capram eſſe contendunt; eamque ob cauſam ſacrificiis adhibitam lege Divina *Levit. c.* 1. *Oblationem ſuam ex ovibus & capris offeret in holocauſtum*. Romani, teſte Livio *l.* 25. capris albis litabant Apollini; Copti vero, & Mendeſii divinis eas honoribus coluerunt; ut de primis Clemens Alexandrinus, de alteris Herodotus literis conſignarunt. Cum vero capræ noxiæ cæteroqui ſint ſatis, & fructibus, maximeque oleis, quas lambendo ſteriles faciunt, ac propterea Minervæ immolabantur; non eſt tamen reticendum, non parum emolumenti eas afferre operis ruſticis, qui ex earum pelle pannos craſſiores, ut ex longioribus etiam pilis veſtes aſciſcunt: ut nihil addam de cilicinis tentoriis militaribus, quæ non ſunt noſtræ indaginis. Adde capram non ovem in Cœlum relatam. *Ovid.*

——— *Oleniæ ſidus pluviale capellæ*.

Mirari ſubit potiorem rationem caprarum, quam ovium duxiſſe Mythologos, qui Pani, paſtorum Deo, caprinum caput, cum hircinis cruribus attribuerunt. Vide *Hædus*.

CAPRARIUS. *Varro*. Cuſtos caprarum.

CAPREA. *Varro*. Animal ſilveſtre notum, non ſolum vivido acrique viſu præditum, ſed agile inprimis mundumque; atque idcirco ſæpius in ſacris Literis, ac præcipue in Salomonis Canticis commendatum. *Cantic. c.* 2. 7. *Adjuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, cervoſque camporum*. Caprearum caro præ reliquis ferinis laudatur: merito cæteroqui creditur ferinas omnis fere generis carnes non ſolum ſapidiſſimas eſſe, ſed etiam domeſticis præſtare ſalubritate. Eximiæ porro velocitatis laude inſigniuntur capreæ. Hinc Sponſus iis comparatur. *Cant.* 2. 9. *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum*. Eſt etiam caprea apud Varronem vitis, quæ capreolos parit.

CA-

CAPREOLUS. Parva capra. Item apud Varronem inſtrumentum ruſticum, ferreum, bicorne, ad ſimilitudinem cornuum capreæ. Sunt etiam capreoli intorti cincinni, & criſpuli claviculi, quibus vites, veluti totidem manibus apprehendunt adminicula, & ſerpendo ſaliunt, quaſi ad locum capiendum.

CAPRILE. Caprarum ſtabulum. *Plin.* Vide *Stabulum*.

CAPRIMULGUS. Qui capras mulget. Uſurpatur a Catullo per modum convicii in amuſos & imperitos:

——— *caprimulgus, aut foſſor*
Rurſus videtur, tantum abhorret ac nutat.

CAPRIFICATIO. Certa quædam eſt ratio, ut Plinius docet, providendi, ut culices, caprificorum groſſis creati, ad ficus advolent, earumque lacte depaſto, & aere tepenti per adapertas rimas immiſſo, eas ad maturitatem perducant. Qui caprificationem in arboribus appellant diſſectionem cultello factam in cortice, ut commodius gemmæ prorumpant, ii longe abſunt a Plinii ſententia.

CAPULATOR. Qui capulis, quæ vaſa ſunt olearia, oleum egerit. *Colum.*

CARBATINÆ, aliis CARPATINÆ CREPIDÆ. *Catull.* Calceamentum ruſticum ex corio bubalo.

CARBUNCULATIO. *Plin.* In arboribus, vineis, & ſegete eſt morbus, qui adurit ad modum carbonis. Hinc ager carbunculoſus, qui redundat ſabulo, & lapillis aridis.

CARDUCETUM. *Pallad.* Locus carduis conſitus.

CARTENUM. Vide *Sapa*.

CASA. *Virg.* Tugurium, domus ruſtica.

CASEALE. Apud Vitruvium videtur eſſe locus, ubi, fumo ex lignis viridibus excitato, caſei ſiccantur, & colantur.

CASTANETUM. *Colum.* locus caſtaneis conſitus.

CASTRATIO. In agricultura eſt ramorum inciſio, ut planta rareſcat, admittatque liberiorem aerem. Quod opus etiam *diſrarare, & intercidere dicitur*. *Colum. Poteſt intercidi & diſrarari; quod opus ruſtici caſtrationem vocant*.

CAU-

CAUDEX, & CODEX. *Virg.* E Veterum more, qui etiam caulis & colis, plauſtrum & ploſtrum dicebant. Id eſt in arbore, quod in herba eſt caulis; nimirum truncus, a radice aſſurgens cum cortice. Ex ejuſmodi truncis conficiebantur olim tabellæ cera inductæ, membranis nondum inventis, quibus tabellis ad ſcribendum utebantur. Hinc volumina typis æneis exarata, Codices etiam nuncupantur.

CAULA. Stabulum ovium. *Cic.* A cavitate: antiquitus enim ante uſum tectorum, oves in antris claudebantur.

CAULIS, & COLIS, ut cauliculus, & coliculus. Fuſtis herbaceus, ſtipes, ex quo prodeunt folia. *Plin.*

CELLA, æ. *Cic.* &

CELLARIUM. *Plin.* Conditorium & promptuarium, ubi ad uſum reponuntur, & premuntur majora quædam & vulgaria poculenta & eſculenta, quæque diu ſervari oportet. Cum indicantur, apponi ſolent nomina rerum ſervatarum, ut cella vinaria, olearia, lignaria, penuaria. Curandum, ut conſtruantur cellæ, ubi commodi ſunt proſpectus, flatuſque ventorum minime noxii, ne ſervata diſpereant, aut corrumpantur. Cato cellas item appellat caveolas columbarum: ex quo apud eumdem Columbæ cellares dictæ.

CELLA VINARIA. Rei ruſticæ Magiſtri veteres cellam vinariam in plano ſtatuendam præcipiunt. Idem de humidis quibuſcunque, quæ cuſtodiri volumus, eſt obſervandum, ne pereant, ſi forte defluant, ſed excipi, ſaltem reliquiæ, poſſint. Obvertenda eſt cella vinaria ad flatus aquilonares, quos hauriant adaperta lumina feneſtrarum: amant enim vina frigidiorem aerem; & tamdiu incorrupta ſervantur, quamdiu frigeſcunt; cum contra oppoſita ventis, qui a meridie & ſubſolano ſpirant, facile elangueſcant & enerventur. Idcirco laudantur cellæ ſubterraneæ, quæ concluſæ frigidæque a noxiis ventorum concurſionibus minime infeſtantur. Nihilo ſecius ſubmovendæ ſunt a ſterquiliniis, uligine, aliiſque ſordibus & im-

immunditiis, quæ magnopere humorem vitiant. Item procul habendæ a ciſternis, fontibus, & aquis ſalientibus, quarum humor extractus vina hebetat, redditque imbecilla. Nihil enim vino citius contagionem ſentit, & graveolentia inficitur atque diſſolvitur. Profuerit pavimentum opere teſtaceo ſolidari, ut diffuſa vina è ſubdito ſubſtratoque lacu colligi poſſint. Ad cellæ latera ſuppoſitis podiolis ſtructilibus, vel ſaltem roboreis cippis, dolia diſponantur. Si laxior & uberior vindemia fuerit, locentur etiam in media cella, relictis tamen ex utraque parte ſemitis, ut cellæ cuſtos, ſiqua aceſcant, vel rimas faciant, effluantque, continuo poſſit accurrere. Eam ob cauſam adhibenda inſuper curatio eſt, ne mutuo ſe dolia contingant, ſed interpoſita pedali menſura diſſocientur; ſecus unius dolii vitium in proxima quæque confeſtim ſerpet & diffundetur. Dolia, quo capaciora ſunt, eo vina acrius & validius robur acquirere, docet experientia. Eadem cuſtodes oblinunt certis, pro uſu regionum vario, medicamentis; caventque crebro transfundere, & partim ad uſum evacuata ſinere, ut exhalent, & evaporando infirma reddantur. Vide *Cadus*.

CELLA OLEARIA. A Palladio, Vitruvio, aliiſque Authoribus Cella olearia meridianis ventorum flatibus objecta collocatur. Oleum quippe frigore congelatum conſtringitur, & fraceſſere paulatim incipit. Propterea ab omni rigore muniendum; utque tepore potius extenuetur providendum eſt. Nec tamen idcirco in eam cellam prunæ, ignes, aut lucernæ admittendæ, ne fumi & fuliginis nidore, & noxiis ſpiramentis vitiatus olei ſapor corrumpatur. Pavimentum eadem cura, ac de cella vinaria dictum eſt, erit ſternendum. Solicite in primis curandum eſt, ut vaſa, quibus oleum excipitur, munda ſint atque deterſa; neque amurcæ veſtigia ex reliquiis veteris olei ſuperſint, quibus novi ſapor inficiatur. Sunt qui, præ ſapidi liquoris copia; non ſatis habent præmagna vaſa ficti-

ſictilia oleo explere; quamobrem ſubterraneis ſcrobibus, atque adeo puteis effoſſis illud cuſtodiunt. Adhibenda iis cura eſt, ut pavimentum teſta tunſa, & opere ſignino ſit valide ſubactum; concamerationes vero arenato, & craſſiore calcis tectorio loricatæ, ne terra aridior liquorem exſugat, oleumque effluat, pereatque per hiatus rimarum.

CELLA FRUCTUARIA. Vide *Horreum*.

CELLARIUS. *Colum.* Cellæ præpoſitus: promuſcondus.

CENTURIA. *Feſt.* Menſura agri, ducenta continens jugera. Hinc ager centuriatus, in ducenta diviſus jugera.

CEPURICA. Latine hortenſia. Sabinus Tyro librum cepuricorum ſcripſit, quem Mecœnati dicavit. *Plin.*

CERES. Saturni & Opis filia. Dea inventrix & mater frugum, cujuſcumque fere generis. Iis inventis & indicatis primos mortalium ab incondita erraticaque vivendi conſuetudine ad certas, quas prodidit, leges, revocavit. *Ovid. Metam. 5.*

Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris;
Prima dedit leges; Cereris ſunt omnia munus.

In Sicilia inveniſſe fruges, imo & in lucem veniſſe fertur. Ideo ea inſula eidem ſacra. Poſt meſſem Cereri offerebantur frugum primitiæ: peragebantque agreſtes turbæ luſtrationes Ambarvales, non ſine conviviis, in quibus vetitum erat vinum inferri. Hinc adagium *Cereri ſacrificant*, in eos qui vinum non adhibent in convivio. *Plaut. Aulul.*

Staphyl. Cererin', mi Strophyle, litant facturi nuptias?
Strophyl. qui? quia temeti nihil allatum intelligo.

Non frumenti ſationem ſolummodo, verum etiam rationem edocuit, qua idem per trituram excuſſum a paleis ſecerneretur, ut refert Callimachus in hymno eidem dicato. Eam ob cauſam ſpiceæ coronæ in templis eidem ſacris appenſæ cernebantur. *Tibull.*

Flava Ceres, tibi ſit noſtro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

CER-

CERNO. Proprie eſt cribrare: ad alia per metaphoram tranſiit. *Plin.*

CERVUS. *Virgil.* Animal ſilveſtre. De inſigni horum agilitate & curſu plurima extant in ſacris Litteris teſtimonia. Achilles, a pedum velocitate ab Homero laudatus, medullis cervorum nutritus fertur in tyrocinio Chironis. Licèt Poetæ etiam fœminis cornua attribuant, conſtat tamen nonniſi mares iiſdem præditos. In vecturis etiam præſtaſſe operam legitur apud Vopiſcum, qui Aurelianum Cæſarem ſcribit cervo devectum in triumpho, ut devictorum hoſtium timiditatem oſtenderet. Sunt enim cervi ſuapte natura meticuloſi & fugaces. Valeſcunt autem mirifice pedum firmitate & robore, propter ungularum duritiem. *Pſal.* 17. 34. *Qui perfecit pedes meos tamquam cervorum.* A ſimilitudine cornuum cervinorum, cervi etiam nominantur pali, ſtipites, & pedamenta furcillata, ad uſum quidpiam, præſertim in vineis, ſuſtinendi. *Virg. Eclog.* 2.

Atque humiles habitare caſas, & figere cervos.

CHLORIS. Dea florum. Chloris dicta a Græcis, eadem ac Flora Latinorum. *Ovid. Faſt.*

Chloris eram, quæ Flora vocor; corrupta Latino
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.

Vide *Flora*.

CICER. *Horat.* Legumen notum, torridum olim vendebatur, teſte Ariſtophane: etiam frictum: *Plaut. Bacch.*

Tam frictum ego illum reddam, quam frictum eſt Cicer.

Apud Romanos populo ſpargebatur in ſpectaculis ab ambientibus Magiſtratus. *Perſius*:

——— *cicer ingere large*
Rixanti populo.

Negat Plinius hoc legumen ſeri oportere, niſi pridie madefactum, propter nimium calorem inſitum. Cum aliis leguminibus locum habebat in cœnis emortualibus, quoniam & vilia eſſent legumina, & minimum alimenti præberent.

CICONIA. *Colum.* Inſtrumentum ad ſulcos ducendos, nequis aliis altior vel profundior evadat. Dicitur a ſimilitudine roſtri avis ciconiæ.

CICUM. Membrana tenuis, nonnullorum fructuum, ut mali punici, & nucis, grana & cellulas contegens. Hinc cicum pro re nihili & ſpernenda uſurpatur. *Varro*.

CICUTA. Proprie eſt pars arundinis excavata. Sumitur paſſim pro inſtrumento muſico ruſticano & paſtoritio; conſtatque ſeptem diſparibus calamis, cera nexis. *Virgil. Eclog.* 2.

Eſt mihi, diſparibus ſeptem compacta cicutis,
Fiſtula.

Vide *Fiſtula*.

CIPPUS. *Horat.* terminus lapideus ad diſcernendos fines agrorum. Suplet ſtatuas Terminorum, Hermas, & finales arbores.

CISTERNA. *Plin.* Lacuſculus aquæ pluviæ, ſubterraneis firmiſque ſubſtructionibus ad modum foveæ excavatus. Collecti imbres a ſtillicidio per tectorum ſuggrundas ibi detinentur, ad domeſticos & hortenſes uſus; præcipue ſi deficiant putei perennes, & aquarum ductus, derivati per canales fictiles, formas ſtructiles, vel fiſtulas plumbeas. Sed providendum diligenter, ut prius aquæ per euripos, & ſcrobiculas expurgatorias, attritu ſtrati ſilicei detergantur a ſordibus, tectorum alluvione contractis. Eas comparandi normam præſcribit *Plinius l.* 16. 40. Cæterum aquarum rationem in primis ducere oportet agricolas; nec ſolum irrigationis ergo; utque pecora potum in promptu habeant; verum etiam propter uſum potandi colonis & operariis. Nulla frequentior in agris morborum cauſa, quam ab aquis impuris, fœtidis, gravibus, quomodolibet inquinatis. Contra vero quæ pellucidæ ſunt eædem ſalutares incolumitatem & valetudinem prorogant atque confirmant. Eam ob cauſam ſcribit Diodorus, procera corpora & validiſſima conſpici apud Indos, qui aquis utuntur ſaluberrimis. Deterrimæ ſunt

ſunt paluſtres, lacunoſæ, & quæ pigro lapſu decidunt: vitandæ etiam quæ ex metallorum fodinis proveniunt, propter infecturæ vitium, agnatamque, ut aſſolet, gravitatem. Nocturno imbre collectas præſtare iis, quæ interdiu defluunt, monet Theophraſtus. Graviſſimæ omnium ſunt, & propter ſalſedinem noxiæ, quæ per æſtiva tempora inter tonitrua & fulgetra colliguntur. Collinæ montanæque laudantur magis, quam quæ in ima valle ſubſidunt. Fuge influentes limo terreo herbidoque: tutus contra indemniſque haurias devolutas per ſaxa, & glareoſa loca, præſertim ſi in procurſu non commaculent lapillos relictis ſordibus. Omnium ſaluberrimas habeas, quæ aeri ſunt ſimillimæ, limpidæ nimirum leveſque, ſaporiſque omnis & coloris expertes.

CITRETUM. *Pallad.* Locus citris conſitus.

CLADES. *Virgil.* Notione Græca a ramo dicitur; & proprie uſurpatur de abſciſſione ramorum ab amputatione, vel ab impetu ventorum, pluviarum, & turbinum. Translate uſurpatur de occiſione, vel damno ab hoſtibus illato.

CLATHRI. A Columella dicuntur inſtrumenta hortenſia, ad terram evellendam. Sed proprie ſunt repagula ex tignis ferreis aut ligneis, directe vel in tranſverſum locatis, ad prohibendum aditum, vel ad muniendum.

CLAVICULA. *Cicero*. In vitibus germen illud eſt, quo vitis ſerpit & erigitur. Dicitur etiam proprie Capreolus, & pampinus: translate vero cincinnus, ab intortis crinibus. Græci helices vocant.

CLAUSTRUM. Vide *Cohors*.

CLITELLÆ. *Liv.* Sellæ doſſuariæ, quibus muli, jumenta, aſini ſarcinas & onera commodius portant.

COCHLEA. Apud Vitruvium unum eſt ex organis aptis aquæ hauriendæ, ad irriganda olera, herbaſque hortenſes, ubi aquæductuum inopia laboratur. Ejus deſcriptionem vide apud nos *Lexic. Milit.*

COHORS, COORS, & CORS. *Virgil.* Locus ante ædes villicas

perflatilis, adapertus, & undique concluſus: domus ruſticæ veſtibulum dixeris. Ibi gallinæ, anſeres, & id genus altilia; oves etiam, & arietes degunt. Adſtrui ſolent ad latera ſtabula, receptacula, & conditoria, non ſolum ut in iis memorata altilia, noctu præſertim, detineantur, verum etiam ut inſtrumenta ruſtica, & agreſtis ſupellex aſſervetur. Excipiunt præterea cortes omnis fere generis cellas, vinariam, lignariam, oleariam, promptuariam; item torcular, & quidquid ad uſus villicos eſt diligenter cuſtodiendum. Adde furnum, & piſcinulas, ex Columellæ præſcripto minimum duas; quarum altera altilium & pecoris potui ſerviat, altera lupinos, coria, virgas, vimina, & ſalices maceret & madefaciat. Ut ad meridiem Cortes vergant monet Palladius, quoniam hyeme teporem a Sole concipiunt, detentis animalibus propitium. Ad æſtivos autem ardores temperandos dirigantur porticus, quæ, ſi copia firmioris ſtructuræ non ſuppetat, aſſeribus, longuriis, ramalibus, ſcandulis, tegi poterunt, paliſque furcillatis defixis probe firmari. Diſtinguitur cohors a clauſtro, quod a claudendo dicitur, notatque quodcumque repaguli ſeptique genus, ſive ſit adapertum, ſive concluſum. Limina etiam, fineſque regionum commode clauſtra appellamus. Livius Etruriæ caſtra, Cicero clauſtra Imperii dixit.

COLLICIÆ, & COLLIQUIÆ. *Colum.* Sulci majores in agris, per quos aquæ inutiles in foſſas ejiciuntur. Hinc apud Catonem tegulæ colliciales leguntur, per quas aqua defluit in impluvium.

COLLINÆ VINEÆ. Quæ collibus prætenduntur; ut enim ſcribit Virgilius:

Bacchus amat colles;

Præcipue ſi meridianos ventorum flatus hauriant. *Colum.*

COLLUCO, as. *Colum.* Dicitur a luce; & eſt amputare ramos officientes ſilvæ vel arbori; utque locus a luce ſit permeabilis efficere, & aerem liberiorem admittat.

COLO, is. *Virg.* Colere agrum, eſt terram exercere ad proventum uberem. Id aſſequimur aratione, ſatione, inſitione, putatione, aliiſque ruſticis miniſteriis & laboribus. Neceſſe eſt hæc ſudore & induſtria comparare, poſtquam fructus & alimenta, ſponte a natura nobis primum tradita, exitioſo ramoſoque lapſu primi Parentis amiſimus; parendumque eſt ſupremi Numinis præcepto: *In ſudore vultus tui veſcèris pane tuo.* Vide *Colonus.*

COLONUS. Apud Pignorium coloni vel ſervi erant, vel ſervili conditione adhibiti ad agros colendos. Certe opponuntur ingenuis; nec ſolum ſervis juncti, ſed pœnis ſervilibus, ſuſtuario & flagellis leguntur coerciti. Alia notione Coloni erant, qui in exteras ſociaſque civitates mittebantur ad ibi degendum, non earum, ſed propriis legibus, ut apud Romanos factitatum in Coloniis deducendis. Sed quoniam ad terræ culturam præcipue mittebantur, inde Coloni terræ cultores in univerſum appellati. Duo autem ſunt terræ ad proventum exercendæ genera & munera, ſerere, & colere. Altero ex his deficiente, perit ſpes omnis, & expectatio anni feracis. Quanti referat, ſtudio operaque numquam intermiſſa, culturæ laborem impendere, oſtendit Romanis Judicibus C. Furius, qui, teſte Plinio, cum ab exiguo agello uberiores fructus colligeret, quam affines ex agris ampliſſimis, eaque cauſa dies eidem dictus eſſet, tamquam veneficiis fructus alienos ad ſe traheret, inſtrumenta, & ferramenta ruſtica omnis generis, vomeres, ligones, bidentes produxit in forum; eaque ſua eſſe veneficia pronunciavit; cauſatus ſudores ſuos & vigilias non poſſe in medium proferre. Quo ſpectaculo delectati ſimul evictique Judices colonum ſtrenuum gnavumque non modo abſolutum, ſed magnopere laudatum dimiſerunt. Jam vero quantacumque terræ fertilitas, niſi cultus accedat, cito ſilveſcit. Ciceronis effatum eſt Tuſcul. 2. *Ager quamvis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt.* Adde *Ovid.*

Fer-

Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nonniſi cum ſpinis gramen habebit ager.

Utcumque contra dumoſum, ſterile, & iniquum ſit ſolum, induſtria, & aſſidua ſedulitate corrigitur. M. Varronis dictum eſt, nullam adeo immitem terram eſſe, quæ cultura domari non poſſit. Quod ſi leones, tigres, ferociſſimaſque belluas mulcendo tractandoque manſuetas & dociles reddimus, quidni exercitatione & diligentia quantumlibet aſperum durumque ſolum coloni laboribus fœcunde grateque reſpondeat? Vide *Agricola*, *&* *Ruſticus*.

COLONA, æ. Coloni uxor. *Ovid.*

COLUM. *Virg.* Vas vimineum, per quod vinum, vel alius liquor in aliud vas transfunditur.

COLUMBAR. *Plaut.* &

COLUMBARIUM. *Pallad.* Columbaria foramina ſunt in periſterotrophio, ubi columbæ nidificant. Duplex eſt apud Plautum locus, ubi columbaris meminit primum in *Rud. ſc. 6.*

Nam in columbari collum haud multo poſt erit;

Ubi fallitur Priſcianus Columbar exponens genus laquei, quo collum nectitur. Neque enim vinculum ibi columbar dicitur, ſed foramen, quod efficit vinculum, rei collum adſtringens. Proprie columbar de indicato dicitur loculamento columbarum, translate de multiplici foraminum genere. Hinc Vitruvius foramina, ubi cubant capita trabium, Columbaria appellat. Eodem nomine notant Inſcriptiones veteres apud Fabrettum Loculos, ubi inſerebantur ollæ mortuorum cinerariæ. Item in aquæductibus foramina, quæ in caſtellis dividunt aquas, in plures vias uſuſque dominorum diſpertiendas. Iterum in Plauti Fragmentis legitur:

Non ego te novi, ſcriba navalis,
Columbar impudens?

Ubi craſſe fallitur Feſtus, ſcribam navalem exponens tabularium vilis conditionis. Ibi herus facete objurgat ſervum

vum improbum, quem jocoſo convicio vocat ſcribam navalem, ideſt remigem, vel remigio dignum; cum remiges, manu remos agitantes, ſcribere videantur in mari. Quod autem addit *Columbar impudens*, vel ad foramen referas, quod efficit laqueus cum rei collum nectit, vel ad foramina, quæ in navi proxima ſunt ad remigum manus, ubi remi inſeruntur. Appellat autem Plautus ſervum nequam *Columbar impudens*, eadem figura uſus, qua Lucilius hominem improbum carcerem vocat, ideſt dignum carcere. Quo idiotiſmo Itali etiam utuntur, qui pravum hominem & conſceleratum appellant *Forca*, videlicet ſuſpendio dignum.

COMMATA. Sic appellat Ulpianus agrorum inciſiones, quibus aquæ emittuntur: a Græcis Diacopi nominantur.

COMOEDIA. Ruri nata, Urbium poſtea habitatrix, ſcenam populumque exhilaravit. Super ejus definitione a Scriptoribus varie valideque certatum. Ab Ariſtotele exponitur: *imitatio pejorum juxta ridiculum*. Sed hoc jejunum, implexum, & explicatione indigens, quam Philoſophus non reddit, è veſtigio tranſgreſſus ad tractationem tragœdiæ. Conſtat autem, ejus Poeticam multis partibus interpolatam, & mutilam ad nos perveniſſe. Seligo ex aliis definitionem Scaligeri: *Poema dramaticum, negotioſum, exitu læto, ſtylo populari*. Etymon Comœdiæ apud Græcos a comeſſando, quoniam Athenienſium agreſtes turbæ cum Apollinis, paſtoris, Deique paſtorum, ſacra celebrarent, comeſſationibus indulgerent; & ſaltu cantuque laſcivientes, per pagos parum verecunda convicia jaciendo in plauſtris diſcurrerent. Partitione dicuntur palliatæ, togatæ, prætextatæ, tunicatæ, tabernariæ, Atellanæ. Ut reliqua ad earum tractationem præcidam, nam ruſticæ exortu ſolo fuere, ſatis fuerit Comœdiam in veterem novamque dividere. Vetus, quæ a Suſarione primum prodiiſſe fertur, mordacior, & ſatyricis dicteriis illiberaliter uſa, non popularibus ſolum & patriciis, ſed ne Principibus qui-

quidem parcebat. Hoc immoderatæ impuræque licentiæ genus etiamnum alicubi perdurat, haud equidem in Comœdiis, ſed ſolo meſſis & vindemiæ tempore, quando conviciatores agricolæ obvios quoſque impudentia verborum, & maledictis audent inceſſere. Novæ comœdiæ initium a Menandro plerique accerſunt. Verecunda magis & gravior contumelioſam illam libertatem refugit. Nec proinde ſuis caret jocis, & ſalibus, ſed pudicos, ingenuos, & liberales habet; urbanos ſcilicet, non agreſtes. Submota proinde amarulentia, & impudenti dicacitate, facetiis utitur, lætoque exitu blanditur populo, & ad ſpem bonam erigit, qui ſcopus eſt comœdiæ propoſitus; cum tragœdia, triſti funeſtoque plerumque exitu, Patricios & Principes terreat; utque moderate & ſobrie potentia utantur, ſtudet, & adlaborat.

Compaginantes agri, qui ſe invicem tangunt, ut nexæ paginæ. *Frontin. de limit.*

Compasco. *Varro*. Simul paſco. Hinc agri compaſcui, qui ad ſimul & communiter paſcendum relinquuntur.

Compluviata vinea. *Plin.* Ad modum compluvii facta; ideſt undique devexa in unam partem, veluti ad centrum.

Concisura, æ. Conciſuras agrorum dixit Seneca minutos quoſdam euripos in cœnationibus præſertim æſtivis. Commodus erit hujus vocabuli uſus in re hortenſi, ad ſignificandos aquarum ductus per areolas herbarias. Ibi enim aqua ductilis, interjecta terra, ligone conciditur, & aliò derivatur.

Conductitiæ operæ. *Varro*. Ruſtici ſunt, qui agreſti labori ferendo alteri ſerviunt, ad id evocati, & mercede conducti.

Confibula. Pars torcularis, quæ arboribus dehiſcentibus inducitur; ad earum hiatum comprimendum. *Cato*.

Confines agri. *Liv.* Qui eoſdem fines habent.

Conseminеus, a, um, &

Con-

CONSEMINALIS, le. *Colum.* Vinea conſeminea, quæ diverſi generis vites habet: ſilva conſeminea, quæ variis arborum generibus eſt conſita.

CONSEPTUM. *Colum.* Multimodis conſepta occurrunt in re agreſti. Sunt autem loca undique clauſa, ſed interdum ſubdialia. Opere & ſtructura varia indigent, pro diverſitate rerum, quæ cuſtodiunt. Leporaria, & vivaria, ubi ferina & ſilveſtria animalia aſſervantur, concludi ſolent firmiore ſepto, muro nempe ſtructili, lapideo, vel lateritio. Vineæ, hortique non uno ſepimento prætenduntur. Neque enim ſemper copia ſuppetit ad muros ductiles excitandos. Itaque aſciſcuntur in eorum ſuplementum ſepes, vel ex vivis fruticum, ruborum, & arbuſcularum radicibus; vel ex ramalibus, virgultis, & ſentibus complicatis, nec tamen vivis, qui nectuntur depactis in terram palis, virgiſque & viminibus ſolidis colligantur. Macerias alii adhibent ex lapidibus luto compactis: vel eaſdem ſola ſaxorum congerie, compoſitaque aggeſtione corroborant. Foveas alii, & ſcrobes aquarias effodiunt; elatiſque ſuperaggeſta terra aggeribus & munimentis, militari more vineta hortoſque protegunt. In viridariis demum topiaria, & areolæ herbarum florumque, præcipue ſi peregrinis exoticiſque ſint conſitæ, mirti, buxi, juniperi, laurique tonſilis viridi odoratoque conſepto firmantur.

COPHINUS. *Juvenal.* Vas ruſticum vimineum: oneribus præſertim aſportandis deſervit.

CORBIS. *Cato.* Vas item ruſticum vimineum. Varro dictum putat a corruendo, quod illuc ſpicæ de meſſe corruant, quæ ſic poſtea a ruſticis in aream aſportantur. Iſidorus a curvatis viminibus, quibus contexitur, nuncupari ſcribit. Hinc verbum *Corbito*, in corbitam mittere. *Plaut. Caſin. Act.* 4. 2.

Novi ego illas ambas eſtrices: corbitant, ubi
Comeſſe poſſunt;

Quod eſt cibos in ventrem, tamquam in corbitam mit-

tere : ſcio alios legere *curvitant*, ſed aptius Turnebus, & alii *corbitant*.

CORIAGO. *Colum.* Morbus bubuli pecoris; cum illi pellis, ſeu corium (ex quo morbo nomen) ſic adhæret carni, ut manibus apprenſum deduci non poſſit. Fit autem potiſſimum cum ſudor in opere faciendo refrixit.

CORTEX. *Virgil.* Dicitur a corio: eſt enim quaſi corium tegens arborem; illud ſcilicet quo exterius arbor tegitur. Pars eſt etiam arborum vitalis, quas ſterileſcere & perire neceſſe eſt interciſo cortice, per quem alimenta ſuccique ſaliunt. Ferre quidem vulnera & fiſſuras arbores poſſunt; imo quædam cortice inciſo fertiliores fiunt; convaleſcunt enim continuo, & conglutinatæ firmius coeunt. Quod ſi undique denudentur, amiſſis alimenti canalibus, & ſpiramentis, quæ ſunt illis vitæ principia, intereunt. Aſperi craſſique ſunt cortices, ſed plantarum medullis admodum leviores. Hinc alligato cortice natare incipiunt, qui eam artem addiſcunt. *Natare ſine cortice*, adagii loco de iis dicitur, qui aliorum opera vel conſilio non indigent.

CORRIVATIO. *Plin.* Aquæ deductio in eumdem locum. Hinc corrivales dicti, qui ex eodem loco aquam per rivos deducunt. Translate de æmulis uſurpatur.

CORTINA. *Cato.* Vas, quo fluit oleum, dum in torculari premitur. Idem apud infectores ad lanas tingendas, & coquendos ad eum uſum colores, adhibetur. Sed quoniam alia non pauca ſignificat, mirum in modum ejus vocis etymon exponitur. Iſidoro dicitur a coriis, quia tabernacula & tentoria, quæ cortinæ dicuntur, pellibus & coriis primum conflabantur. Item a corio aliis appellata, quoniam Apollinis tripus Pythonis ſerpentis corio erat coopertus. Servius duas originationes tradit. Cortinam, quaſi certinam dici autumat a certis Oraculis, quæ a cortina Apollinis edebantur. Iterum quia in eo tripode, qui cortina appellabatur, Vatis nempe Apollinis ipſius

ipſius cor tenebatur. Utraque originatio putidior eſt, quam ut refelli debeat. Appoſite procul dubio Martinius deducit a corte villatica, ad quam acceptiones aliæ ſunt referendæ. Ut enim cors ſpatium eſt undique concluſum, ſic vas rotundum, tentorium, tripus etiam inferiori ex parte rotundus erat clauſuſque. Non ignoro Theatri cortinam, quæ legitur apud Virgilium *in Ætna*, a Scaligero reddi hemiſphærium; ſed eamdem Turnebus, & alii integram Theatri convexitatem exponunt. Poſtremo Lorica muralis, quæ inter duo propugnacula arcium protenditur, atque item cortina dicitur; ad modum cortis villicæ, ex omni parte arcem concludit.

CRATES. Connexio ex vimine, ligno, vel ferreis virgulis, ad uſus plurimos proficiens. Aptari ſolet feneſtris, atque adeo januis, ut minus pervia ſint, & munita inveniantur horrea, granaria, & ſtabula. Eſt etiam inſtrumentum ruſticum, dentatum, quod agris occandis adhiberi ſolet, & ſimile eſt occæ, pectini, & raſtro, quibus glebæ comminuuntur poſt arationem, & agri ſuperficies æquatur: *Virg.*

Multum adeo raſtris glebas qui frangit inertes,
Vimineaſque trahit crates, juvat arva.

CRENA. *Plin.* In novellarum herbarum frondibus dicuntur inciſuræ quædam per ambitum in modum ſerræ.

CRIBRUM. *Plin.* Inſtrumentum pelliceum vel coriaceum, in gyrum ligneo repagulo obductum, quo frumenta purgantur; vel farina a furfure ſecernitur. Eſt enim crebris foraminibus pertuſum. *Cribro aquam gerere*, adagium eſt de opera & labore irrito; quo ſuplicii genere feruntur in fabulis mulctatæ Danaides, quæ aquam perforato hauriunt dolio. Claudius etiam Cæſar non abſimili pœna ibidem coactus ludere talis, ſed perforato item fritillo, ut ſcribit Author ludi *de morte Claudii*.

CRIBELLUM. *Pallad.* Parvum cribrum.

CRIMNUM. *Plin.* Farina craſſior ex tritico & zea.

CRUDUM SPATIUM. Dictio eſt Palladio familiaris. Pars terræ

ſatione non culta. Columella etiam crudum ſolum pro immoto dixit. *Terra vergine*.

CULMUS. Frumenti calamus, ab eodem calamo dictus. Et quoniam antiquitus ſtramine & culmis tecta cooperiebantur, tegulis nondum repertis, idcirco tectorum faſtigia culmina appellantur.

CULTELLO, as. Cultellare agrum, formula eſt peculiaris Frontino, Hygino, aliiſque Gromaticis. Dicitur autem cultellari ager, cum depreſſus vel aſſurgens, funiculo erecto ad perpendiculum, redigitur in planitiem. Dicitur porro id cultellare a cultro, vomeris genere, ut Plinius loquitur, vel potius certo vomeris ſitu; nimirum cum reſupinus, relictis inciſuris, deſignat ſpatium ſulcis aperiendis, ut idem Plinius poſtea explicat. Alii trahunt a cultro ſciſſorio, ita collocato in tabula, ad ejus planitiem vel inæqualitatem explorandam, ut coſta ſurſum erigatur, acies vergat ad tabulam; ſitque ejuſdem horizonti perpendicularis, ut exponunt Philander, & Baldus *in Vitruv*.

CULTER. Quid ſit in vomere, vide *Cultello*.

CUNICULUS. Animal lepori ſimile; ſub effoſſa terra latere ſolitum. Varro, & Plinius dictum putant a cuniculis bellicis. Contra Vegetius ſubterraneos illos militares meatus ab animali cenſet nomen accepiſſe. In Hiſpania ingenti copia naſcitur; eoque numero in Inſulis Balearibus eos excreviſſe tradit Plinius, ut incolarum rogatu copias bellicas ad eoſdem excindendos Romani miſerint. Licèt enim ſint puſilla mole, tactuque blandæ beſtiolæ, ſunt tamen agricolis non leviter pertimeſcendæ, quoniam terram ſubvertentes opera agreſtia diſturbant; redduntque inutiles labores exantlatos in agris colendis. *Mollior cuniculi capillo*, adagii loco eſt dictum a Catullo in delicatulos.

CUPA. Vas vinarium, quo excipitur uva expreſſa in torculari. Eodem ad vinum huc illuc deferendum utebantur; eſt enim ad modum dolii ex omni parte clauſum. Ci-

cero

cero *in Piſon. Piſtor domi nullus*, *nulla cella*, *panis & vinum e propola*, *atque de cupa*, videtur inſinuare cupas proprie reponi ſolitas in œnopoliis, ubi viles e populo potare ſolent & comiſſari. Cæterum non pontes ſolum e cupis ſtratos legimus; ſed iiſdem adapertis pro navibus interdum uſos, refert Heſychius.

CUPELLA. *Pallad.* Parva cupa.

CUPRESSETUM. *Cic.* locus cupreſſis conſitus.

CURCULIO. *Virg.* Vermis frumento vehementer infeſtus.

CURVIFRONTES. *Pacuvius apud Nonium*:

Tu curvifrontes paſcere armentas ſoles.

Licèt hoc epitheton gregibus, cum paſcunt, magis appoſite congruat, ſemper eſt tamen belluarum proprium, juxta illud Ovidii,

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram &c.

CUSSILARES. Fit a lirare, & coſſim: nam aratores coſſim, ſive coxim, hoc eſt varicitus, ſeu laxis cruribus incedebant; pedes quidem habentes in liris, nempe ſulcis, inter pedes autem porcam, ideſt terram editiorem. Et quoniam ſic incedentes lente progredi neceſſe eſt, ideo ignaviſſimi quique & deſides cuſſilares, vel coxilares appellantur.

CUSTOS. *Plaut.* Qui rem aliquam curat ſervatque. Cuſtodes paſcuorum, horti, vineæ, ſaltuum dicimus. *Guardiani*. Cuſtodes etiam vocantur novelli in vitibus palmites duarum vel trium non amplius gemmarum, qui alio nomine reſeces, & palmites præſidiarii appellantur a Plinio.

CYLINDRUS. *Virg.* Columna lapidea rotatilis; qua area æquatur.

CYMA. *Plin.* Summus & tenerior herbarum, ac præſertim braſſicæ, coliculus. A fœtura ex Græco dicitur apud Voſſium. Italis etiam *Cima*.

D

DAMA. Animal ſemiferum, a metu ex Græco dictum; eſt enim impenſe timidum. Idem tamen adverſus alia ſui generis pugnaciſſimum: *Martial.*

Aſpicis imbelles tentet quam fortia Damæ
Prælia; tam timidis quanta ſit ira feris?
In mortem parvis concurrere frontibus audent:
Vis, Cæſar, Damis parcere? mitte canes:

Quaſi majore damno afficiant ſe mutuo conflictu, quam ſi in eaſdem canes inſilirent. Virili genere legitur dama apud Virgilium. *Georg.* 3.

——— *timidi damæ, cervique fugaces:*

Quod a Servio factum dicitur vitandæ cacophoniæ gratia. Verum apud eumdem procul ab ea ſuſpicione legitur *Eclog.* 8.

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.

DAMALIO, onis. *Lamprid.* Juvenca vel vitulus. A domando, notione Græca.

DAPHNON, onis. *Martial.* Latine Lauretum, a Daphne Nympha in laurum verſa.

DECAPULO, as. Evacuo: a capulis, quæ ſunt vaſa anſata, quibus oleum depleri ſolet. *Plin.*

DECEMPEDA. *Horat.* Menſura agraria decem pedes continens.

DEDUCTORIUM. *Pallad.* Foſſa ad aquam in agros deducendam.

DEFRUGO. Defrugare agrum dicitur agricola, cum per imperitiam jacto largius ſemine, nimia fœtura illum exhaurit. Plinius: *Oraculum illud magnopere cuſtodiendum: Segetem ne defruges.* Defrugare dicitur a frugibus, quaſi frugibus officere.

DEFRUTUM. Muſtum ad mediam, vel tertiam partem decoctum.

ctum. Nimis craſſe Feſtus etymon trahit a fraude, quaſi vinum ſic fraudem patiatur. Expreſſe Palladius deducit a *deſerveſco*. Hinc vaſa defrutaria apud Columellam, quibus muſtum decoquitur.

DEFUNDO. Inter verba defundo, & diffundo, hoc intereſſe diſcriminis aliqui obſervant, ut in re vinaria diffundere ſit vinum e lacu in dolium, vel a dolio in cados vel amphoras, ſervandi gratia, egerere, juxta illud Horatii,

Vina bibes iterum Tauro diffuſa,

Et *Juvenal.*

Ille capillato diffuſum Conſule potat:

Defundere autem ſit fundere in pateram, vel cyathum bibendi cauſa. Contra vero Salmaſius utroque modo aſſeverat vinum defundi.

DEGLUBO, is. Eſt corticem vel ſiliquam detrahere ex grano, & leguminibus, cum ab eorum folliculis ſpoliantur. Significat etiam excoriare. Hinc proverbialis ſententia Tiberii apud Svetonium: *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere*. Indicabat vectigalia & mulctas ſobrie & moderate, non rigide & immodice eſſe indicendas.

DELIBRO, as. *Colum.* Corticem aufero: nam liber eſt arboris cortex, & tegumentum.

DELIRO, as. *Plaut.* Proprie dicitur de ſemina jaciente, vel aratore, cum a ſulco, qui lira eſt, deflectit, & extra lineam evagatur. Ad animi vitia transferri ſolet. *Horat.*

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Et quia ademptus rationis uſus, morbi, vel ſenectutis extremæ cauſa, ſummus eſt animi error, idcirco dementia delirium dicitur.

DENTALE. Lignum, quo aratri vomer inſeritur, vel ejuſdem ligni pars interior. *Colum.*

DIACOPI. *Ulpian.* Latine ſunt terræ inciſiones, per quas aqua fluviorum in agros effunditur. Crebreſcunt apud Ægyptios, qui eas ex Nilo ſic derivabant in agros, imbrium penuria laborantes. Locum frequenter habent in re hortenſi, in agris, pratis, & vineis. Vocantur

etiam

etiam commata, incilia, & conciſuræ, quem titulum vide ſupra.

DIANA. Jovis & Latonæ filia. A ferendo die dicitur, ut tradit Cicero. Nam eadem in Cælo Luna eſt, Diana in ſilvis, Proſerpina apud Inferos. Virginitatis cuſtodiendæ ſtudio incenſa, ut virorum commercia vitaret, nemora & ſaltus inhabitabat. Succincta ibi ſemper & cothurnata, arcum & pharetram gerens, venando dies tranſigebat. Templa eidem plurima erecta, ſed ampliſſimum Epheſi poſitum, de quo nos ſcripſimus *Vocabul. Architect.*

DIOTA. Vas vinarium anſatum. *Horat.*

DIRADIO. Radiorum figura aliquid compono. Columella ad vitem tranſtulit: *Validam ergo vitem in ramos deducere cenſeo, & traducibus diſpergere, atque diradiare.*

DIRUNCINO. *Plaut.* Per inciſionem purgo: a runca, quæ eſt inſtrumentum evellendis dumis idoneum.

DISPALO. Verbum eſt parum diligenter expenſum a Lexicariis etiam nuperis. Ajunt idem eſſe ac vagari; trahuntque a militibus disjectis. Deduxiſſent ſaltem a palis caſtrenſibus, qui alligati deferuntur in commeatu, & diſſoluti defiguntur ad tegendas manſiones in agris: vel a palis munitoriis, quibus conſtruuntur & firmantur aggeres. Sed nihil horum. Dicitur omnino Diſpalo a palis agreſtibus, qui ſunt vitium adminicula; quique, cum vento, turbine, vel vetuſtate ſunt disjecti, vinea diſpalata dicitur. Antiquiores quippe ſunt pali agreſtes palis caſtrenſibus & militaribus. Ab ejuſmodi palis milites, & quicumque, ordine non ſervato, evagantur, dicuntur palati, & diſpalati. Rem expreſſe conficit verbum *palo*, a quo eſt *diſpalo*, quod ſic uſurpatur a Columella: *Vitis paletur, & capite tenus alligetur.*

DISSEMINO. *Cic.* Proprie dicitur de agricola æquo laxius & diſperſius ſemina jaciente; translate de aliis.

DISSEPIO. *Ovid.* Proprie ſpectat ad rem agreſtem; notatque

que diſſolutionem ſepis in vinea vel horto: figurate aliò trahitur.

DIVIDICULA, orum. Dicuntur Caſtella, ex quibus e rivo communi aquam quiſque in ſuum rivum deducit. *Feſt.*

DOLIARIUM. *Pandectæ*. Locus ubi dolia aſſervantur.

DOLIUM. *Cic.* Vas prægrande vinarium, a dolando, ut plerique opinantur, dictum. Fictilia fere apud Veteres erant dolia. Deceptum reor Salmaſium, qui excipi quidem doliis vina, neutiquam autem in iiſdem, ſed in cadis vel amphoris ſervari olim conſueviſſe ſcribit. Clarum eſt Horatii teſtimonium de vino in doliis ſervato,

Et horna dulci vina promens dolio,
Dapes inemptas apparet.

In eamdem ſententiam ſcripſerunt Cicero, aliique. Scriptores vero veteres rei ruſticæ dolium definiunt, in quo vinum, vel oleum reconditur. *Doliaris vita*. Ambiguum eſt vetus adagium. Apud alios lautam vitam ſignificat; abundantius enim hauritur ex dolio: & effertur de iis, qui magna copia fruuntur optatis. Apud alios contra vita frugalis atque adeo ſordida eodem adagio deſignatur, cujuſmodi egiſſe legitur Diogenes Cynicus, dolii habitator, & cultu cætero magnopere parcus & deſpicabilis.

DOMUS. Ex Veterum præſcriptione duplex eſt domus villatica, altera patrisfamilias, quam urbanoruſticam vocant, altera ruſtica, quæ villici & operariorum eſt habitatio. Prior relaxationis & animi gratia, poſterior proventuum, & emolumenti cauſa eſt conſtruenda. Urbanoruſticam & herilem domum, pro fortunarum copia, & villæ amplitudine & merito, ædificari oportet. Non itaque ruditer erigenda, verum non molitione ſolum, ſed ornatu etiam & nitida ſupellectile ſit ſpectabilis. Commoda in æſtivas & hiemales manſiones diſtribuenda cubicula, quæ ampla & eleganter loricata purum aerem ſolemque ſuſcipiant. Romanorum olim domus heriles cœnationibus, diætis, tricliniis, balneis, ad omnimodam civi-

carum ædium formam inſtruebantur; eaſdemque balneatores, oſtiarii, atrienſes, ex uſu prorſus Urbano curabant. Piſcinis inſuper, vivariis, leporariis, ad oble-ctamentum & magnificentiam, ac præcipue ad hoſpites cum dignitate excipiendos, detinendoſque cum voluptate, illuſtrabantur. Quemadmodum vero curandum eſt, ut ejuſmodi domorum proſpectus ad longinqua viridantium agrorum, ſilvarum, & collium ſpatia, ad hilaritatem ſimul & ſalubritatem feratur, ſic ab omni graveolentia, cœnique, & ſordium fœtore quam remotiſſime eſt ſubmovendus. Domus ruſtica cum adjectis ſtabulis, caprile, ovile, bubile, ſic erit locanda, ut bubulcis & paſtoribus ad ſuos greges promptus inde aptetur acceſſus. Cellam villicus juxta januam habeat, ut queat pernoſcere qui noctu præſertim ingrediuntur, vel extra domum ſe efferunt. Neutiquam negligenda eſt ædificii ruſticani curatio, ſed conſolidanda præcipuum in modum habitatio eſt, ne incendiis, & furum nocturnis maxime aggreſſionibus pateat. Ad confuſionem & perturbationem vitandam diſcriminata ſint cubicula colonorum, & operarum glebalium; tum etiam eorum, qui gallinario, corti, torculari, columbario, & ſimilibus præſunt. Potiſſima omnium cura ſit aquæ parandæ, ut propinquæ, quammaxime fieri poterit, habeantur piſcinæ, fontes, aliaque aquarum receptacula, non ſolum ad pecoris & altilium potum, verum etiam ad detergenda a ſordibus vaſa, ad abluendas lanas, & univerſam domus munditiam aſſerendam. Villica demum cum ſociis non ſolum ut munda & deterſa ſint omnia, ſtudioſe provideat; ſed lanificio & textrinæ laborem impendat, ſarciendæ, innovandæque rei veſtiariæ, & omnis generis ſupelle-ctili.

DRACONES. Dicuntur a Plinio palmites tortuoſi, ad ſimilitudinem draconis: eoſdem emeritos etiam vocat.

DRAMA. Quemadmodum genus humanum ſocietate conſtat, inſtitutione naturæ, ſic mutuis allocutionibus animi ſenſa de-

depromere, & miſcere ſermones, eadem docuit. Hinc vetuſtiſſima Dialogorum origo, in quibus ſermo duorum vel plurium, numeris metroque primum ſolutus, eſt uſurpatus. Quod omnibus poſtea rerum initiis contingere ſolet, ut in progreſſu ornatum acquirant, contractus etiam metro concluſuſque dialogus, Cratete quodam Athenienſi, ut perhibetur, authore. Et quoniam antiquitus humanæ negotiationes intra cancellos rei ruſticæ & paſtoralis continebantur, de armentis, paſcuis, & agrorum cultura vel proventu, a paſtoribus & agricolis metrica alloquia agitari cepta, quibus Eclogarum appellationem Scriptores indiderunt. Addita demum metricis cantibus actio & geſtus; effectumque ut Eclogæ migrarent in dramata, quorum ipſæ rudimenta quædam & proluſiones erant. Horum plurima ſunt genera: paſtorale haud dubie omnium antiquiſſimum, Comicum praeterea, Tragicum, & horum omnium tractationem complectens, Epicum Carmen. Quoniam vero antiqui Vates Bucolici intra Eclogarum fines conſtiterunt, Dramaticum paſtorale carmen poſteriorum temporum Scriptoribus reliquiſſe viſi ſunt. Magno ii numero tam Latina, quam vernacula dictione uſi percrebuerunt. Et quandoquidem locus admonet ipſe, ut ſaltem de Italorum præcipuis, quid ſentiam, ingenue proferam, æquus mihi ſis, Lector, ut mea de iiſdem judicia hic adſcribam, quemadmodum eadem edidi in meis Miſcellaneis *l.* 3. *c.* 4. Auguſtinus Beccari, Sacrificii nomine fabula edita, primus omnium paſtoritiis luſibus & amoribus ſcenam aperuit. Ea fabula præ reliquis ingenuos ſilvarum Genios, nec tamen incultos, & meraciſſimum Pana ſapit, ſpiratque. Nihil in ea jactantiæ deprehendas, nihil tumoris & audaciæ. Candidam illam inprimis, verecundam, miraque ſuavitate conditam exiſtimo; eoque magis elaboratam, quominus limæ veſtigia notæque conſpiciuntur. Torquati Taſſi Amynthas paulo ornatior ſic poſterioribus fabulis nitidæ puræque ſimplicitatis pal-

mam præripuit, ut in eo genere laudis infra Beccari Sacrificium tamen ſubſiſtat. Guarini Paſtor Fidelis ita comptus, perpolitus, delibutuſque renidet, tantumque ubique exhibet venuſtatis & deliciarum, ut hoc ſolum delinquere videatur, quod explendeſcat, efferatque ſe ſupra paſtorem. In Bonarelli Phyllide magni conatus, licet magna ex parte felices, apparent tamen. Argumenti novitas, & argute dictorum floribus diſtincta & quaſi vernans locutio Lectorem vehementer alliceret, niſi nimius ornatus ſibi oneri eſſet; & quædam gigneretur ex ipſa voluptate ſatietas.

DUMETUM. *Cic.* &.

DUMICETUM. *Feſt.* Locus ſpinis obſitus.

DURACINUS, a, um. *Plin.* Dicitur de fructibus, ac præſertim de uva, quæ durum habet corticem.

DURAMEN, vel DURAMENTUM. *Colum.* Brachium vitis.

E

ECLOGA. Aliis Carmen Bucolicum. Genus carminis ruſtici & paſtoralis. Nuncupatur a bobus vel bubalis, quæ prior omnibus eſt inter paſtores honoris appellatio. Primordia licet Tibullus ad agricolas referat *l. 2. eleg. 1.*

Agricola, aſſiduo primum laſſatus aratro,
Cantavit certo ruſtica verba pede;

Nihilominus paſtoribus eam laudem cum Varrone plerique tribuunt. Commonſtrata haud dubie antiquitus modulatio a cantu avium, & a ſibilis arborum, frondes motantium afflatu ventorum. Harum imitatione paſtores, cum ſolitarii, deſides, otioſique agerent, cantillare primum, mox per æſtatem ad ſaltuum æſtivas umbras, per hiemem conglobatim reducti apricantes ad ſolem, meditatis

tatis cantiunculis, rudi ſcilicet craſſaque Muſa deprom-ptis, otium fallere ceperunt. Uſu poſtea edocti, & æmulatione laceſſiti, a languidis illis, ineptiſque modulis, ad paulo venuſtiores, majore ingenii curæque niſu adhibito, gradum facere; poſtremo excerptos ex iis atque ſelectos alternatim proferre inſtituerunt, in cœtu ad concertandum conſtituto. Hinc vero apud Græcos Eclogæ appellatio, quæ electionem ſonat. Hujus Carminis origo, quam vetuſtiſſimam eſſe fatentur omnes; authorem, ut in tanta caligine vetuſtatis, incertum habet. Patri Libero, Apollini, cum armenta paſceret Admeti Regis, Daphnidi Mercurii filio, Panos etiam Filio ſcriptores adſcribunt. Plerique tamen in Sicilia ortum carmen Bucolicum opinantur. Cum enim ea Inſula laboraret peſtilentia late graſſante, poſt eamdem Dianæ ope ſedatam, a ruſticis & paſtoribus grates Deæ perſolutæ memorantur, inconditis pro rudi gentis ſimplicitate, hymnis & canticis. Quemadmodum vero iis cantionibus perſonæ ſolum ruſticæ interſunt, opiliones nempe, caprarii, aratores, & agreſtium genus univerſum, ſic earum materia circa agros, paſcua, ſilvas, & armenta verſatur. Elocutionis contexendæ modus & forma ea eſt, quæ paſtoritiam ingenuitatem ſapiat prodatque. Simplex illa nimirum, puraque, nec ſolum tumoris expers, verum etiam ornatus anxie quæſiti, fucatique. Nec tamen idcirco illaboratum dixeris hoc genus canendi: quin potius anguſtiæ ipſæ, & ariditas materiæ, quæ agros intra, & paſtorum ſepta concluditur, ſuſtentanda eſt eleganti nitidaque dictione: habet enim ſuas veneres fundumque ornatè admodum concinnèque dictorum. Addo cantus ejuſmodi paſtoritios a miricis ad lauros interdum aſſurgere, non Bionis ſolum, Mopſi, Theocriti, & aliorum, ſed Virgilii in primis exemplo, qui avena ruſtica prænobile canit Genethliacon Pollionis Filio: Silenum vero inducit non ſolum excelſa & grandia quomodolibet referentem; ſed de rerum primordiis mirifice

phi-

philoſophantem. Bellicas proinde expeditiones, certamina, victorias, Regum exortus & funera, utque omnia in pauca contraham, ſublimia quælibet argumenta, ſilvicolarum fiſtulæ non detrectant, ea tamen cautione ſervata, ut externa iſthæc & gravia nemorum genio aptent, & ſua faciant. Materia hujus carminis multiplex: frequentiſſima omnium amatoria, ad quam præter innatam noſtri generis affectionem, ſilveſtre otium, conſuetudo ludentium puellarum, & animi curarum vacui alliciunt. Perſonarunt olim ſuaviſſimo cantu paſtoritio agri Græcorum compaſcui, & Arcadiæ umbroſa nemora, mellitiſſimos modulatus edentibus Steſichoro, Theocrito, Moſcho, Bione. Virgilium Latini habent, qui non alios modo Græcos, ſed ipſius Theocriti famam obſcurare potuiſſet, niſi nimius extitiſſet ejus Poetæ imitator. A Virgilio poſt Neſianum, & Calphurnium, longe impares fiſtulas, decurrenda ſunt latiſſima temporum ſpatia, donec devenias ad Sanazarum, Vidam, & Pontanum, ſcriptores cultiſſimos, & in quibus vix quidpiam beatiſſimæ illius aureæ ætatis deſideres.

Edor. Ab Antiquis, authore Feſto, *ab edendo* far ita dictum, quod poſtea ador eſt appellatum. Vide *Ador*.

Elices. *Colum.* Sulci aquarii, per quos aqua collecta ex agro elicitur, ex quo origo nominis.

Elutrio, as. Elutriare lintea dixit Laberius, e luto & ſordibus purgare. Sed quoniam apud Plinium elutriare dolia legimus, video id explicatum pro transfundere ex uno in aliud vas, *Travaſare*. Deducunt a Lura, ideſt utre, quoniam Veteres utribus vinum conderent. Sed a lura eſſet Elurio, non Elutrio: præterea cum ab eodem Plinio, & aliis habeamus vellus & lanas elutriare, plane videtur verbi originem eſſe ab eluendo, ſive expurgando a luto & ſordibus. Licet nihil obſtet, quominus ad illam transfuſionem trahi etiam poſſit; ſic enim purgari vinum ipſum neceſſe eſt.

Emissarius palmes. A Plinio dicitur qui poſt putationem infer-

inſertur imis ſcamnis, ut per ſingulos annos ad ſuperiora ſubeat, ſcandatque.

EMPLASTRATIO. A formando Græcis dicitur. In agricultura fertur idem eſſe ac inoculatio. Colum. *Tertium genus, cum gemma, cum exiguo cortice, in partem ſui delibratam recipit, quam vocant agricolæ implaſtrationem, vel, ut quidam, inoculationem*. Sed Beroaldus in Columellam diverſam putat emplaſtrationem ab inoculatione. Aſſentior Beroaldo, & emplaſtrationem dici cenſeo appoſitionem ceræ, vel ſimilis tenacis materiæ, quæ, cum terra adjecta, & præligata, firmat ſurculum inſitum.

ENTHECA, orum. Pandectæ. Latine repoſita. Sunt inſtrumenta, ferramenta, vaſa, & his ſimilia arma ruſtica, quæ cenſentur dotes prædiorum.

ENUCLEO. *Cic.* Proprie eſt nucleum e folliculo extrahere: baccæ, & duracina enucleantur. Translate eſt *declarare*.

EPISTATES. Villicus, &

EPISTATA, æ. Villica eſt apud Catonem, quæ præeſt familiæ ruſticanæ.

EQUA. *Horat.* &

EQUUS. *Cic.* Animal notum; forma, robore, celeritate præſtantiſſimum, bellique & pacis artibus unice natum. De eodem, quod attinet ad militaria, prolixam tractationem dedimus *in Lexic. Milit.* Ad noſtrum inſtitutum pertinent, qui hominum rerumque variarum vecturis deſerviunt, ſarcinarii, clitellarii, plauſtrarii. Item admiſſarii, qui ad ſobolem procreandam equabus adjunguntur. Non impar ejus generis utilitas ex trituris, moliſque verſandis. Ab inceſſu, vario miniſterio, & coloribus varias appellationes habent, Gradarii, Veredi, Sagmarii, colatorii, funales, jugales, deſultorii, ſcutulati, palmati, phœnicei, gilvi.

EQUILE. Stabulum equorum. *Varro*.

EQUISONES. Equorum domitores. *Valer. Maxim.*

ERADICO. *Terent.* Una cum radice evello.

ERGASTULUM. *Colum.* Locus in agris, ab opere faciendo dictus:

ctus : carcer ruſticus a Juvenale appellatur , ubi ſervi vincti detinebantur arando , fodiendo , terram excolendo : quemadmodum Syracuſis , & poſtea Romæ , cuſtodiebantur ad metalla & marmora eruenda in Latomiis lapidariis . In ergaſtula ſervos heri includebant authoritate privata , ideoque perperam ergaſtulum confunditur cum carcere , in quem Magiſtratus conjiciebant reos publica authoritate .

Erraticus , a , um . *Plin.* Vitis , braſſica , cucurbita erratica : item erratici arborum rami , qui natura , vel artis adminiculo diffunduntur .

Eruca . Vermiculus , oleri herbiſque infeſtus , quas rependo abrodit ; ex quo eidem nomen . *Colum.*

Erudero . *Varro* . Purgare campum cæmentis , confractis lapidibus , ruinis ædificiorum , quæ rudera appellantur .

Erunco . *Colum.* Herbas noxias ſpinaſque runca evellere .

Ervum . Genus leguminis . Jumentorum pabulum . *Colum.*

Esculetum . *Horat.* Locus eſculis conſitus .

Examurco . *Apul.* Examurcatum dicitur oleum , quod ſublata amurca eſt defæcatum .

Excodico . *Pallad.* Effodere circa arbores , caudicibus locum liberando , ſolumque expurgando . Receptiore verbo dicimus ablaqueare .

Exossatus , a , um . Ager exoſſatus non eſt lapidibus plenus , ut refert Calepinus ex Cornuto , antiquo Perſii interprete , ſed lapidibus purgatus . *Perſius* .

FABA .

F

FABA. Legumen notum, & omnium viliſſimum. Ex Græco dicitur a veſcendo, quoniam primus fuerit hominum cibus. Non contemnendus inde fabæ honos. Cæteroqui legumen inauſpicatum eſt habitum; nam in ejus flore litteræ luctus emortualis apparent. Idcirco, ut Varro, Feſtus, aliique tradunt, vel nomen fabæ pronunciare vetitum erat Flamini Diali. Eamdem ob cauſam adhibitæ fabæ in re funebri, & ſacrificiis parentalibus. Ad hæc hebetare ſenſus exiſtimantur, turbare mentis tranquillitatem, & inſomnia facere. Hinc exortum plerique exiſtimant Pythagoræ monitum, *a fabis abſtineto*; tametſi Plutarchus, aliique referunt illud ad Magiſtratus, quos, ſuffragiis olim per fabas latis creatos, vitandos eſſe Philoſophus hortaretur. Terentii pronunciatum, *Iſthæc in me cuditur faba*, in parœmiam abiit; ideſt, in me hoc malum recidit: a faba, cujus percuſſione laborat ſolum, cum toſta fuſtibus cæditur. Martinius, nullo Scriptorum teſtimonio prolato, adſtruit hujus proverbii originem aliam ridiculariam. Ait autem quemdam, cum fabam ederet neutiquam coctam madidamque, ea cauſa iratum, eamdem ſupra coqui caput comminuiſſe, jocoſæ adjectionis cauſa hoc dictum accipias.

FÆCARIÆ SPORTÆ. Apud Catonem ſunt, quibus incluſa fæx prælo ſupponitur, ut vinum fæcatum exprimatur.

FÆX. *Plin.* Purgamentum, craſſæque ſordes, quæ ex vino, oleo, & ſimilibus ſubſidunt. Translate effertur ſæpius: fæx civitatis, quiſquiliæ, homunciones: homines nihili, vel vitiis perditi.

FALX. Ferramentum aduncum, quo herbæ & ſegetes ſecari ſolent. A Catone numerantur fœnariæ, ſtramentariæ,

arborariæ, vineaticæ, ſilvaticæ, ruſcariæ. Prætereo militares, quæ non ſunt noſtræ indaginis. De falcibus bello exorto, in enſes mutatis Virgilius *lib.* 1. *Georg.*

Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.

De lanceis contra converſis in falces *Iſai. c.* 2. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces.* Quod a Martiali etiam ſic habemus, falce ad loquendum inducta.

Pax me certa ducis placidos mutavit in uſus:
Agricolæ nunc ſum, militis ante fui.

Falcis inventorem fabulatores Saturnum ferunt, qui primus agriculturam monſtravit; idcirco Falcifer perpetuo fere epitheto appellatus. *Falces poſtulabam, tu de Ligone reſpondes*; adagium eſt de iis, qui reſpondent quod ad rem nihil attinet. Ortum ab eventu agricolæ, qui cuipiam e vicinis falcem commodato petebat, cui ille negavit ligonem ſibi domi eſſe.

FALCARII. Occurrunt apud Ciceronem *Catil.* 1. Ubi tamen non ſunt ruſtici utentes falcibus; ſed neque ſunt milites armati falcibus, ut parum diligenter exponitur a Nizolio. Tullius enim armatos falcibus, non falcarios, ſed falcatos dixiſſet. Apud Scriptores quippe ſeverioris & purgati Latii ordines militares notantur adjectivis deſinentibus in *ati*, qui ſequiore ævo deſignantur deſinentibus in *arii*; ut apud primos ſcutati, haſtati, catafracti; apud alteros ſcutarii, haſtarii, catafractarii. Diligentius proinde Muretus, & Lambinus Ciceronis falcarios exponunt vicum, ubi conjunctim, ut aſſolet, inhabitantes agebant confectores falcium.

FALCICULA, & contracte FALCULA. *Palladius.* Parva falx.

FALISCA. *Cato.* Locus in ſtabulo, ubi ponitur pabulum gramineum, herbaceum, fœnum ſcilicet, farrago, & ſimilia.

FAR. *Plin.* Notum frumenti genus. A frangendo dictum fertur; quoniam Antiqui molis nondum inventis, illud in pila frangerent. Ut Græci hordeum, ſic Romani far cibum

cibum omnium antiquiſſimum exiſtimabant. Idcirco, præ aliis frumentis, in ſacrificiis adhibitum, & uſurpatum in nuptiis; atque hinc confarreatio, modus connubii apud Romanos, quo Pontifex Maximus, & Flamen Dialis frugibus & mola ſalſa ſponſos conciliabant. Ejuſmodi matrimonii diſſolutionem vocabant diffarreationem. Hinc etiam farrago, quæ proprie eſt pabulum pecoris ex recrementis farris, vicia & hordeo admiſto. Tranſlate ſumitur pro rerum variarum commiſtione. Vide *Ador*.

FARRAGO. Vide *Far*.

FASCIS. *Cic.* Congeries lignorum, vel ſimilium, quæ vinculo aliquo, vel brachiorum complicatione colligatur.

FAUNI. Vide *Silvanus*.

FERABITES, aliis FERAVITES. *Siſenna apud Nonium*. Vitis fera, ſilveſtris, labruſca.

FEREOLA. *Colum.* Vitis ferax, a ferendo: vel potius aliquantulum ſilveſtris & fera, ut ferabites, de qua ſuperius.

FERACITAS. *Colum.* Fertilitas. A ferendo.

FERMENTUM. *Colum.* Farina ſubacta, nondum ſalita, acorem contrahens. Miſta panificio maſſam gravidam, & panem efficit leviorem, aptioremque tam ad cocturam, quam ad digeſtionem. Fermentare terram, frequens eſt dictio apud Scriptores de re ruſtica. Id autem perficitur, cum terra paſtinatione, & calidis ſtercoribus computreſcens rareſit, atque reſolvitur; ex qua conſperſione eamdem inflari, augeri, & quaſi ebullire neceſſe eſt. Chriſtus Dominus *Matth.* 16. cavendum eſſe præcipit a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Ea ſcilicet nota nequiſſima vitioſi, inducto deforis religionis tectorio, ad pietatem compoſiti, & curvifrontes, ſe magnifice circumſpiciunt, corraſaque popelli admiratione intumeſcunt; nec ut cæteri hominum ſe reputari contendunt & ſatagunt; intus autem, in cute, &, ut Perſius loquitur, in jecore ægro, vitiorum omnium colluviem, & deterrimam nequitiam occulunt. Caveas ab Æſopicis

niſce graculis, & ſimiis purpura palliatis. Dicas potius cum Dante Aligherio,

Non ragioniam di lor, ma guarda, e paſſa.

FERTILITAS. *Cic.* Fœcunditas. A ferendo.

FERRAMENTA. *Pallad.* omnis generis arma ruſtica ex ferro.

FICARIA. *Pallad.* &

FICETUM. *Varro.* Locus ficis conſitus.

FILICETUM. *Pallad.* Locus filicibus conſitus, vel impeditus.

FIMETUM. *Plin.* Sterquilinium, quo congeritur fimus mox diſpergendus.

FIMUS. Alimentum terræ ad ſata & olera vegetanda, quæ aqua & fimo uberius & citius adoleſcunt. Laudatur præ cæteris cinis, quoniam natura calidus, & admodum tenuis, vermes, noxiaſque ejuſmodi beſtiolas ſoboleſcere non ſinit. Proxime accedit fimus herbaceus, & ſtipularius. Ad uſum omnium frequentiſſimus eſt ſtercorarius, ex jumentorum, ovium, columborum & maxime hominum excrementis. Quod attinet ad ſtercorationem ſuillam, Columella omnium deterrimam eſſe reputat: Plinius contra, & Theophraſtus eamdem pluribus commendant. Turdorum, aliarumque avium, gallinarum item, & ſimilium cortis altilium fimo agros Romani antiquitus ſtercorabant; utpote quo lætæ admodumubereſque ſegetes redderentur. Eoque magis eodem utebantur, quod aviaria condere ſolerent ampliſſima, omnique volucrum & altilium genere, non ad uſum modo, verum etiam ad oſtentationem quamrefertiſſima. Sunt qui inter ferendum, fimum ſuperjaciunt, ut pinguior ſuccus proveniat. Cavendum in primis ne recens ſit fimus, nam beſtiolas gignit, quæ ſuccum & humorem præripiunt. Augias Helidis Tyrannus primus in Græcia, authore Plinio, ſtercorationem invenit. Bubile is fertur habuiſſe tria continens boum millia, quod cum a ſordibus emundare auderet nemo, expurgatum eſt ab Hercule, amne Alphæo in illud immiſſo. Originem inde habuit adagium, *Augiæ ſtabulum purgare*, quod effertur de iis, qui ad opus

opus immenſi laboris conficiendum operam collocant.

FISCUS. *Colum*. Ciſta ex ſparto vel vimine, multis apta uſibus, tam ruſticis, quam urbanis. Eſt etiam vas oleàrium, appellatione propria qualus, qui ſupponitur torculari, ne fæces cum oleo defluant. Hinc fiſcina & fiſcella, vas vimineum, lacti coagulando idoneum. Apud Veteres, cum pecuniæ publicæ, vel regiæ deferendæ marſupia non ſufficerent, eamdem conjiciebant in fiſcos. Hinc majoris ſummæ pecunia, a Principe vel Republica aſſervata, Fiſcus nuncupatur: nam pecunia privata loculis, arca, vel ſacculis conditur.

FISTULA. Inſtrumentum muſicum paſtorale & ruſticanum. Septem calamis conficitur, ſuperiùs gradatim diſparibus, inferiùs complanatis. *Virg.*

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Theocritus novem calamis compactam habet. Ovidius fiſtulam ex centum calamis Polyphemo appingere auſus eſt:

Sumptaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum.

Sunt qui fiſtulæ buxeæ, atque adeo æreæ meminerint. Ab aere in cannas immiſſo ex Græco fiſtula dicitur. Oris flatu per eaſdem cannas excurrente, ſonum ciet, quem ſinguli calami proprium, & ab aliis diſcrepantem reddunt, ita ut ſeptem vocum diſcrimina eadem prodat fiſtula. Plerique Pana ejus inſtrumenti authorem ferunt, qui illud Arcadiæ Paſtoribus primum monſtraverit: *Virgil.*

Pan primum cera calamos conjungere plures
Inſtituit.

Muſicum hoc organum paſtoritium in ſui Cœtus teſſeram & inſigne extulerunt Romani Academici, Paſtorum Arcadum appellatione inſigniti Anno reparatæ ſalutis 1691. Fatentur omnes, Lectiſſimorum Virorum ſtudio reſtitutum, in Italicæ præſertim Poeſeos lucubrationibus, nitorem priſtinum, & ingenuos illos ſilvarum Genios revocatos. Quamobrem non eſt demirandum, ſi, deductis

ctis per univerſam Italiam Coloniis, Paſtorum Arcadum nomen decuſque quamlatiſſime percrebuerit; feſtinarentque ad danda Academiæ nomina non modo doctrina clari, verum etiam illuſtri loco nati, & primariæ dignitatis prærogativa viri ſpectabiles. Non inficiabor, me quoque in præclaræ inſtitutionis partem vocatum, propterea quod pleroſque e ſociis neceſſitudine conjunctos, nec ita paucos in tradendis Rhetoricæ diſciplinis in Collegio Romano auditores habuerim. Videſis quæ de eo Cœtu olim luſimus *Carm. tom. 2. eleg. l. 3. 4.*

FLAGELLUM. *Colum.* Pars extrema palmitis vitei: item virgæ arborum, ita dictæ a virgis, quibus ſervi olim cædebantur, quæ propria eſt flagelli appellatio.

FLOCES. Fæx vini expreſſa e vinaciis. *Neque florem, neque floces volo; vinum volo.* Cæcilii eſt dictum.

FLORA. Non puduit Romanos impudentiſſimam meretriculam divinis honoribus impertire, & venerari tamquam Deam florum, qui mundiſſimi ſunt naturæ partus: & ſacrilegis eam inſuper feſtis, Floralium appellatione inſtitutis, quotannis colere. In iis fœminæ meritoriæ omni pudore dirutæ, non ſolum verborum licentia, ſed impudicis motibus denudatæ, ſpectatores detinebant. Puduit tamen, Valerio Maximo teſte, populum poſtulare ut mammæ denudarentur, ſpectante Catone. Eumdem populum Romanum hæredem inſtituit Flora, cum vulgati corporis quæſtu ingentes opes coegiſſet; præcepitque, ut natalis ſui diem ludis editis populus celebraret. Quod cum dedecoroſum Senatui videretur, juſſit eadem feſta peragi, ut fructus & arbores tempeſtive floreſcerent.

FLORALIA. Vide *Flora*.

FLOS. *Catull.* A nitore dicitur ex Græco; ut enim in Cælo Stellæ, ſic flores in pratis hortiſque, veluti flammulæ quædam intermicant. Flores plantarum ſunt germina, ex quibus plerumque fructus proxime progignuntur. Sunt enim plantæ, quæ ſine floribus fructus ferunt, ut ficus: ſunt etiam quæ flores ſine fructu emittunt, quod

herbis

herbis eſt fere commune. Sed pars arborum maxima floris & fructus gemino lætatur partu. Duplici a natura dote flores donantur, colore & odore. Fragrantia nares, colore oculos, ſed & animos mira etiam varietate pelliciunt, oblectantque. Proinde non fructus ipſorum modo, ſed ipſi nobis mirifice ſerviunt & blandiuntur. Hinc anxie & naviter quæſiti, cultique; nec conſperſione ſolum adhibiti in feſtis ſolemnibus; verum etiam coronis geſtandis, aliiſque uſibus plexi, ſerti, ſoluti, ad convivia, aras, thalamos, tumulos exornandos avide accerſuntur. Ut flores intra domeſticam habitationem ſerantur, aut ſaltem propinquo in loco, Scriptores monent; propterea quod odorum ſuavitate imbutus aer ſalubritatem corporibus, ipſa vero eorum varietas aſpectum oculis lætum, gratumque conciliat. Apricis in locis ſtatuantur areolæ florales, marginatæ angularibus, quadrangulis, rotundiſque lineis, quæ ex herbis lectiſſimis, itemque odoratis concinnari ſolent. Non promiſcue, confuſeque, ſed ſeparatim ad jucundiorem ſpeciem collocentur. Cultus florum ſingulari ſeduloque ſtudio curandus avulſione crebra internaſcentium herbarum inanium vel noxiarum: præcipue vero irrigatione, non effuſe, & immodice, jactu præcipiti projectis aquis, ſed per hydrias, quæ ſyphunculos crebris foraminibus pertuſos habeant diſpertitis.

FOCANEUS PALMES. *Colum.* Qui inter duo vitis brachia, quaſi inter fauces, germinat.

FOECUNDITAS. *Plin.* Fertilitas. A fœtu fovendo. Proprie de pecore & animalibus dicitur.

FOENILE, ubi fœnum aſſervatur. Vide *fænum*.

FOENUM. Herba in boum pabulum reſecta. *Hæſiodus*.

Fænum congerito paleamque, ut pabula bobus
Annua ſufficiant.

De fœno, bello exorto in haſtis ſublato. Vide *Manipulus*. Fœnilia, palearia, & horrea ſemoto in loco, ut ab incendiis tuta ſint, conſtrui monet Vitruvius. Ex

fœno

fœno coronamentum ſibi fœniſecæ adornabant. *Ovid.*

Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno.

Vulgatum eſt illud Horatii,

Fœnum habet in cornu longe fuge;

Quod in parœmiam abiit, adhibeturque adverſus homines feroces, & ad ultionem præcipites. Orta eſt a bobus cornupetis, in quorum cornibus fœnum antiquitus alligabatur, ut obvii quique, eo ſigno admoniti, ſibi caverent.

FOLIUM. *Virgil.* Dicitur a ſimili Græcorum voce. Arborum, herbarum, & florum germen. Provide a Natura comparatum eſt, ut flores fructuſque, præſertim novellos, folia protegant ab æſtu, imbre, & aeris inclementia. Si enim utilitatem ſpectes, eorum quoſdam quaſi clypeos dixeris; ſi ſpeciem & ornatum perpendas, plantarum comam vocabis. Varietas eorum maxima: aſpera, aculeata, tenuia, adſtricta, lata, conferta, diſperſa, turbinata, lunata, ſtellata, odorata &c. Plantæ hieme plerumque foliis ſpoliantur: paucis vigor perdurat ad perpetuam viriditatem. Vetuſtiſſimus ſcribendi uſus in arborum foliis; quod ex jactis a Sybilla atque diſperſis apud Virgilium diſcimus; idemque Hiſtorici teſtantur plurimi. Gradus deinde factus ad libros, qui ſunt interiores arborum tunicæ. Tabulis poſtea rerum memoriæ traditæ. Poſtremo chartæ ex lino & cannabe aqua maceratis ſucceſſerunt. Primos mortalium ex conſutis foliis ſibi præcinctoria quæſiviſſe Sacræ docent Litteræ *Geneſ.3.* Ex iiſdem cubile Ulyſſem ſibi paraſſe, poſtquam e naufragio in Phæaciam appulit, legimus apud Homerum. Foliis coronati non ſolum Satyri, Paneſque, Deique Silveſtres, verum etiam victores in agonibus, quotquot olim Græcia celebravit.

FORI. *Colum.* In hortis & agris ſunt anguſtiores viæ, iter præbentes circa porcas, ideſt editiorem terram inter duos ſulcos.

FOSSIO. *Plin.* Exercitatio ruſtica, qua ligone, pala, vel ſimili

ſimili ferramento terra aperitur & eruitur eam vertendo. Una eſt ex præcipuis terræ culturis. Dicitur a fovea, vel potius a fovendo, quoniam foſſione glebæ foventur, & incaleſcunt. Prodeſt impendio foſſio; nam ea agitatione aufertur quod plantarum alimentum poteſt impedire vel tollere. Eadem inſuper inverſione terra perflatur, & inciditur; ſubitque proinde, inditurque novus aer, quo etiam madefacta, majores vires concipit attrahitque. Quam ob cauſam quæ aridæ ſunt ſtrigoſæque terræ crebrius & altius foſſione ſunt ſubigendæ. Duplex eſt foſſionis genus; alia adultis plantis, novellis alia impenditur. Fodiendi tempus pro ſoli varietate uſuque varium; excepta æſtate, quæ radicibus admodum eſt infenſa ob Solis ardorem.

FOVEA. *Colum.* Terræ proſciſſio ad modum canalis, vel ſulci majoris, cujuſmodi excavantur in pratis, ut aquæ effluant; & fines etiam eorum deſignant. Item terræ foſſiones diverſi generis. Vide *Foſſio*.

FRACES. *Plin.* Fœces olivarum, quæ ſubſidunt, cum oleum exprimitur. A frangendo eſt nomen: fiunt enim & recidunt ex olivis in torculari fractis.

FRONDATIO. *Colum.* Amputatio frondium, & ramuſculorum redundantium. Hinc Frondatores a Scriptoribus dicti, qui arborum ramos ſupervacuos amputant, manipuloſque e frondibus conficiunt, vel qui manibus vellunt folia vitium, ut ardor Solis ad uvam maturandam citius acriuſque pervadat.

FRONS, dis. A ferendo dicitur, quia florem gignit. Frondes de arboribus proprie dici, folia tam de arboribus, quam de herbis & floribus, quidam ſenſerunt. Virgilius tamen; aliique non pauci feſtas frondes nominarunt, quibus templa velantur, vel ſternuntur viæ, feſtivæ lætitiæ ſignificandi cauſa: ſunt autem hujuſmodi etiam herbarum florumque frondes. A colore, figura, craſſitie, magnitudine, aſperitate, & levore miram frondes varietatem capiunt. Ramos exornant, fructus protegunt;

ſatigatos & quieſcentes ſub umbra recipiunt, recreantque. Vide *Folium*.

FRUCTUARIUS, a, um. Quod fructum fert, ut palmes fructuarius apud Columellam. Hinc apud Juriſconſultos ſervi fructuarii, quorum uſumfructum alius habet, alius proprietatem.

FRUCTUS. *Cic.* Origo nominis a fruendo. Quamobrem proprie eſt quidquid delectabile in prædiis naſcitur. Uſu tamen fructus appellamus poſtremum arborum ex floribus germen, ſaporis diverſi, plerumque grati. Fructus de arboribus dici, fruges de frumento, & leguminum genere univerſo, plerique ſtatuunt: neque enim id ſemper eſt a Scriptoribus obſervatum. Glandibus olim primos mortalium veſci ſolitos colligitur ex Arcadiæ populis, quibus ea cauſa glandivoris cognomentum adhæſit. Sed apud Romanos etiam non aliam antiquitus eſcam fuiſſe docent memoriæ veteres. Cereris beneficio frumentum, ejus ſationem Saturno, vel Triptolemo, Mytologi tribuunt. Athenienſes ne primum, an Siculi potius, vel Ægyptii fruges habuerint, Scriptores varie deſtinant. Cum vero Ceres Siciliam impenſe coluerit, ut Siculos primum iiſdem uſos affirmem, inclinat animus. Primos certe Athenienſes frugum primitiis libiſque annuis, pro cujuſvis modulo, Deos coluiſſe ex Draconis inſtituto, mandatum eſt literis. Ritus poſtea victimas mactandi percrebuit. Sed in hoc genere ſtandum eſt documentis, quæ a Sacris Paginis, & ab aſſuetudine Hæbreorum accepimus. A caprarum morſu tuendas fruges Varro, Plinius, aliique præcipiunt. Earum ſalivam novellis ſatis, ac præcipue oleis, vehementer eſſe perniacioſam experientia compertum eſt. Idcirco in Cereris, oleæ apud aliquos inventricis, ſacrificiis capræ mactabantur. Occurrendum huic peſti eſt cultro; & ſub ipſo morſu detruncanda pars abroſa, ut novum germen ſincerum & innoxium ſubeat. Cum conſtet ratio diſcriminis ſuperius traditi inter fructus & fruges, proximum eſt, ut prius fru-

fruges, poſtea vero fructus fuiſſe decernamus. Fruges enim ad vitæ neceſſitatem, fructus ad delicias faciunt. Quoniam vero de iis, quæ ad vitam tranſigendam neceſſaria ſunt, æquum eſt ſedulam curam ducere, idcirco frugales, & frugi, vel bonæ frugis homines dicimus, non ſolum qui honeſtatem colunt, ſed etiam qui parſimoniam conſectantur, & ſumptibus parcunt.

FRUGES. Vide *Fructus*, & *Frumentum*.

FRUGIPERDA. Planta, quæ fruges facile amittit. Vocabulum, teſte Plinio, Latine cuſum ad imitationem Homeri, apud quem Græce legitur.

FRUMENTUM. *Cic.* A fruendo, quaſi fruimentum. Ut enim ſcribit Donatus, frui eſt veſci, a frumine, quod eminens eſt, & interior gulæ pars, per quam dentes cibum demittunt. Tria ſunt vulgatiſſima frumenti genera, triticum, far, hordeum, de quibus hic ſeparatim ſcribimus. Ea ſolum dici frumenta plerique reputant, quæ ariſtas emittunt; fruges reliquorum appellationem eſſe. Alii aliter diſtinguunt. Inventrix frumenti Ceres perhibetur. Veteres, molis nondum inventis, frumenta flammis toſta pinſebant in pilis, ex quo piſtores dicti. Romanis olim publice frumentum traditum, quod a Principe accipiebat populus per teſſeras frumentarias; quæ largitiones inde frumentariæ vocabantur. Erogari poſtea panes ceperunt. A frumento fiunt frumentatio, frumentator, frumentor, frumentarii; quæ voces licet a frumento colligendo manaverint, a re ruſtica in alium fundum migrarunt; adhiberique ſolent in re militari & caſtrenſi, ubi ſermo eſt de iis, quorum curationis eſt frumenti vim comparare ad uſum militum.

FRUTETUM. *Plin.* &

FRUTICETUM. *Horat.* Locus fruticibus, & arbuſculis crebris complicatiſque impeditus.

FRUTEX. *Plin.* Genus plantæ, minus arbore, majus herba; a quibus diſcriminatur, quoniam ramoſa eſt ab ipſa radice.

FUMARIUM. *Martial.* Locus ubi vina fumo condiuntur; ſic enim facilius ad maturitatem perveniunt.

FUNDUS. Hic etiam Etymologici, tamquam pro aris & focis, acriter pugnantes diſſentiunt. Omiſſis eorum altercationibus, ſequor Donatum, apud quem fundus non eſt ſolum ager, ſed quidquid in agro continetur. Fundum proinde appello vineam, hortum, ſilvam, olivetum, paſcua, domum ruſticam &c. ut plane nihil diſtet fundus a poſſeſſione, vel potius a re poſſeſſa. Sunt porro qui novum hinc diſcrimen ſtatuunt; & fundum haberi docent de poſſeſſione ſolum agreſti; prædium vero de urbana ſimul & agreſti. Hos ego cenſeo ab optimis Scriptoribus, & præſertim a Cicerone poſſe redargui, qui *in Orat. pro Balb.* fundos vocat populos, apud quos Romanæ leges valeſcunt.

FUNETUM. *Plin.* Vitis arcuata; cum brevior palmes ad modum funis ſarmentis adjugatur.

FURCA. A ferendo. Non unus hujus inſtrumenti uſus. Cum enim palus ſit bicornis, paleis, fœno, ſarmentis emovendis & aſportandis, vel eadem jumentis miniſtrandis deſervit. Præſtat etiam ſuſtentaculum, & munimentum arborum ramis. *Ovid.*

Pomaque læſiſſent matrem, niſi ſubdita ramis
Longa laboranti furca tuliſſet opem.

FURCILLA. *Catul.* & *Furcula.* Liv. Parva furca.

FURFUR. *Plaut.* Purgamentum farinæ.

FURUNCULUS. *Plin.* In vitibus palmes, juxta alium palmitem natus, ut proximi ſuccum adimere, & quaſi furari videatur. Aliis eſt tuberculum in vitibus, quod enaſcitur ex cicatrice germinis educti.

GAL-

G

GALLINARIUM. *Colum.* Ubi gallinæ aluntur & aſſervantur. Vide *Cors*, & *Aviarium*.

GEMMA. *Virgil.* Fit ab antiquo verbo *geno*, quod eſt gigno. In arboribus, & præſertim in vite, illud eſt quod tumeſcit, cum parere incipiunt: oculus vitis. Scite Scaliger gemmas primum de vitibus, poſtea de lapillis pretioſis dici exiſtimat; quoniam orbiculati plerumque ſunt, & protuberantes memorati lapilli, ut oculi vitium. Hinc gemmaſcere arbor dicitur, cum eas gemmas emittit.

GERMEN. *Virgil.* Quod primum a ramo, vel a radice turgeſcit: Surculus prægnans. A generando.

GENICULUM. *Plin.* A genu dicitur internodium in caule herbaceo.

GLABRETA. *Colum.* Loca herbis & ſtirpibus nuda, ubi propter ariditatem, vel humorem noxium, nihil gignitur. A glabris, qui pilis carent.

GLANS. *Plin.* Antiquiſſimus hominum cibus, & aurea primum ætate in uſu & pretio habitus; cum ſtomachi melius, quam gula & luxuria valeſcebant. Eundem Pauſanias *in Arcadicis* refert Pelaſgum quemdam primum omnium monſtraſſe Arcadiæ populis, qui inde glandifagi appellati, cum prius herbis & ſtirpibus veſcerentur. Glandiferæ arbores a Plinio numerantur cerrus, æſculus, ilex, fagus, ſed omnium maxime quercus. Eam ob cauſam plurimis honorum teſtimoniis quercus nobilitatæ. Ea fronde coronati victores in agonibus; donatique milites, qui civem in bello ſervaſſent. Eandem arborem Jovi ſacram; populorumque primum altricem fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Fatidicas poſtremo quercus juxta Dodonam dubiis in rebus reſponſa dediſſe, teſtatur Virgilius:

— *ha-*

——— *habitæ Grajorum oracula quercus.*

Non modo antiquiſſimis mortalium, verum aliis ſubinde populis, & ſua quidem ætate, glandes victum ſubminiſtrare, author eſt idem Plinius. Aliarum nempe frugum inopia, ex arefactis glandibus farina in panis uſum molitur, & ſpiſſatur. Quin vero glandibus, quarum dulciſſimæ quædam ſunt, veſci, neceſſitatis præſertim urgente telo, refugiamus, cum non ita raro contigerit ex vilioribus, atque adeo ex cadaverum oſſibus, non unos populos extremæ famis remedia quæſiviſſe? Addit Petrarcha glandium eſum fugientes, eaſdem hoc ipſo nobilitare.

E poi la menſa ingombra
Di povere vivande,
Simili a quelle ghiande,
Le quai fuggendo tutto il mondo onora.

GLEBA. *Virgil.* Terra, ſi ſoluta eſt, pulvis dicitur, ſi collecta velut in glomerem, gleba, quaſi globus, appellatur. Redundare his ſolent agri recens arati, vel effoſſi. Hinc Varro boves glebarios nominat, qui valentiores reliquis ſunt, & valide terram proſcindunt.

GLOMA. *Varro.* Tegumentum grani frumentarii.

GRANUM. *Varro.* Semen frugum extritum: de reliquis minus belle dicitur.

GREX. *Plin.* Multitudo minorum animalium, pecudum, porcorum &c., majorum ſunt armenta; translate tamen utraque greges nominantur. Feræ ſilveſtres, ut ſolitariæ ſolent degere, ſic ſolæ divagari & excurrere conſueſcunt. Natura quippe illis vires ferociæ pares indidit. Contra vero armenta & greges conglobatim & gregatim incedunt, tamquam numero vires ſupleant. *Dantes Purg. Cant. 3.*

Come le pecorelle eſcon dal chiuſo
Ad una, a due, a tre, e l'altre ſtanno
Timidette atterrando l'occhio, e'l muſo;
E ciò che fa la prima, e l'oltre fanno,

Addoſ-

Addoſſandoſi a lei, s'ella s'arreſta
Semplici e quete, e lo 'mperche non ſanno.

Quos verſus ita Latine reddidimus in noſtra ejus Comœdiæ Epica converſione:

Ceu ſeptis cum paſtor oves dimittit apertis,
Una præit, ſequitur mox altera, cætera turba
Expectat pavitans demiſſa fronte vocantem:
Procedunt temere, qua callem prima capeſſit,
Olli nixæ humeris, ſiquid ſubſiſtere cogat:
Ire juvat tacitas, nec eundi noſcere cauſas.

Groma. Apud agrimenſores machinula eſt, ex cujus uſu agri diriguntur ad lineam, & locus metandis caſtris capitur. Statuitur ea machinula cum addito ferramento in tetrantem, ut lineis ductis in quatuor partes dividant ſpatium, & quatuor faciant normales angulos. Schema gromæ habes apud Salmaſium *in Solin. c.* 37. Vide plura apud nos. *Lexic. Milit.* Tit. *Grom.*

Gummi. Vide *Plantatio*.

Gummitio. *Colum.* Illinitio, quæ doliis fieri ſolet ex gummi ſoluto, quemadmodum picatio per picem.

H

HÆdile. *Horat.* hædorum ſtabulum.

Hædus. *Cic.* Capræ fœtus minor, ut agnus minor eſt fœtus ovis. Perotto hædus dicitur quaſi fœdus, quia capræ filius: Si hirci filium dixiſſet, minus hoc etymon improbaverim. Mundus ille puruſque eſt, & eam ob cauſam gratiſſimus inter carnium edulia. Idcirco ab edendo potius dictum putaverim. Quemadmodum vero hædinæ carnes palato gratum ſaporem afferunt, ſic hædorum pelles pilique minimum aſperi craſſique ſunt, cujuſmodi ſunt caprini, ex quibus ſacci, & ci-

& cilicina tentoria conficiuntur. Propterea ex mollibus illis pilis galericulos concinnari ſolitos ſcribit Martialis. Sed & hædorum pelliculis Jacobi collum manuſque contectas a Rebecca, ut haberetur pro fratre Eſau, habemus *Geneſ.* 27.

HÆREDIUM. *Plin.* Prædium acquiſitum ex hæreditate.

HARA. Porcorum ſtabulum, aliis anſerum; melius Donatus generatim, quo pecora clauduntur. *Cic.*

HELVELUS, a, um. *Colum.* Uvæ & vina helvela, vel helvenacea, dicuntur a colore helvo, qui medius eſt inter album & rufum. *Chiaretto*.

HEPSEMA, atis. *Plin.* Sapa muſtum decoctum ad tertiam partem.

HERBA. *Virgil.* Ab hærendo aliqui trahunt, quod terræ inhæreat. Plantæ genus arbore & frutice debilius, mollius, brevius. Sativæ aliæ ſunt, ſilveſtres aliæ. Item eſcariæ, noxiæ, medicamentariæ, conditariæ, odoratæ, olitoriæ, montanæ, agreſtes, aquaticæ &c. Non figura magis, quam dotis virtutumque varietate ſunt mire diſcrepantes. Herba ab radice foliata eſt, quo etiam differt ab arbore & frutice, quæ plantæ e ramis frondes emittunt, & caule ſemen afferunt. Advertit id explicatque Ovidius;

——— *adhuc tua meſſis in herba eſt.*

Primum ſcilicet herbeſcunt frumenta; in ſtipulam poſtea adoleſcunt. In ſatis cujuſvis generis antequam ſemina jaciantur, evellendæ ſunt herbæ, nec is labor per deſidiam omittendus; nam ſi prius herbæ proveniant, adempto occupatoque humore, ſegetes langueſcunt atque deficiunt. In Veterum ludis qui victi erant, herbam ex eodem loco decerptam, tamquam victoriæ ſymbolum, victori porrigebant in manus. Hinc adagium *Herbam dare vel porrigere*. Herbam dare etiam de iis dicimus, quæ nondum maturuerunt, ſed ſpem bonam de ſe præbent.

HILUM. Exiguum eſt illud nigrum, quod cernitur in grano fabæ.

fabæ. Sumitur pro re admodum tenui: hinc nihilum dicimus, quaſi ne hilum quidem. *Hilum non proficit*, Ciceronis eſt dictum.

HIRCUS. Caper admiſſarius, vir gregis. *Plin.*

HORDEUM. Frumenti genus notum, conſuetum pleriſque in locis equorum pabulum. Idem militibus pro tritico miniſtratum pœnæ genus erat in Romanorum militia veteri, Liv. l. 27. *Cohortibus, quæ ſigna amiſerant, hordeum dari juſſit.*

HORREUM. *Virgil.* A nonnullis dicitur quaſi horridum, ab ariſtis frumentaceis; quoniam antiquitus non grana ſolum, ſed integræ in horreis ſpicæ condebantur. Alii trahunt ab hordeo, propterea quod horreum eſt proprie hordei conditorium, ut farreum farris. Uſu tamen factum eſt, ut horreum notet cellam conditoriam omnis generis frumenti atque adeo leguminum. Separatim ab aliis ædificiis horrea ædificari præcipit Vitruvius, ne incendiis ſint obnoxia. Excelſis alicubi in locis eadem leguntur diſpoſita. Frequenter etiam in cellis ſubterraneis, ſolo paleis & ſtramentis ſubſtrato. Curatur quippe quam diligenter, ne humor aut aer inducatur, niſi cum depromi neceſſe eſt. Quo enim aer, præſertim humidus, non penetrat, tineæ, curguliones, & id genus beſtiolæ non proveniunt; eaque cautione condita ætatem ferunt. Apud Varronem legimus frumenta ad annos quinquaginta, milium ad centenos, fabam vero a Pyrrho Rege uſque ad bellum piraticum Magni Pompeji feliciter perduraſſe. Eam porro ob cauſam ad Septentrionem, & exortivum ſolem horrea locari debent; nam flatus aquilonii fruges corrumpi non ſinunt. Quæ ſupra terram conſtruuntur, providebant Veteres ut pavimenta haberent amurca madefacta, & opere Signino, ideſt teſta tunſa, probe inculcata. Hodie præjacto rudere, vel carbonum copia, arenato paſſim ac lateribus ſolidantur. Calcem parietibus horreorum loricandis infeſtam habebant Veteres: amurca & ſubacto luto illinebant. Palladius, Co-

L lumella,

lumella, omneſque rei ruſticæ Scriptores negant frumenta ventilanda eſſe; neque enim ſic aut refrigerari, aut a noxiis beſtiolis exortis vindicari putant. Ventilatio quippe eas beſtiolas non expellit, ſed ſubmotis acervis immiſcet. Cum vero palmi menſuram ea animalia non pervadant, præſtat ſubire damnum ex ſumma maſſa, quam vitiari totam atque corrumpi. Ex horreo dari dicimus, quod prolixe & affatim datur: plenius nempe & abundantius ex horreo, quam ex chœnice, vel alia menſura depromitur.

HORTUS. *Horat.* Triplicem notionem habet. Sunt enim olitorii, florei, & arborei. Olitorius eſt, ex quo olera, acetaria, herbæque aliæ ad uſum cibarium comparantur. Sub adaperto & perflatili aere pingue ſolum olitorio quærendum. Si aridius vel infirmum occurrat, fimo, præſertim ſtipulario, eſt corroborandum; ſed inſpergi leviter debet, nam validiore ſucco indigent fruges, quam herbæ ſativæ, quarum ſolis foliis horti inumbrantur. Irrigatione ſingularem in modum refici eos oportet. Aquæ proinde inducendæ ſunt per canales & fiſtulas aquarias, ſcrobiculis & ſulcis, quaſi lactante ubere adapertis. Si deſint aquæ profluæ e vivo fonte, tollenonibus, tympanis ductariis, aliiſque pneumaticis organis accerſendæ ſunt atque ſuplendæ. Salſugine infectæ omni ſtudio vitandæ, quoniam radices adurunt, ſuccumque adimunt, vel deteriorem creant. Intra Urbium mœnia horti olitorii admitti non ſolent; udi nempe aquarum derivationibus, & ſtercorati, noxium aerem gignere exiſtimantur. Epicurus tamen primus illos in Urbem invexit; eoſque pro ſchola habuit, ut referunt Cicero, & Laertius in ejus vita. Adſtrue Propertium:

Illic vel ſtudiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis.

Utrum decus aliquod ex ea per Epicurum inductione in urbes hortis acceſſerit, piget quærere. Nihil illis ad ſupremæ perennitatem gloriæ contingere clarius potuit, quam

quam quod in Sacris Paginis legimus, nimirum Chriſtum Dominum ſalutari ſudore ſanguineo hortum Gethſemani conſecraſſe, poſtquam primus mortalium Parens, ramoſa fatalique culpa, Paradiſum, ideſt hortum voluptatis, & ſuam progeniem funeſtavit. Iterum horti a Divino humani generis Reparatore Sanctiſſimi Corporis Sepulcro nobilitati. Joann. 19. 41. *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter Paraſceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, poſuerunt Jeſum.* Cum vero redivivus inter mortales ageret, ut Diſcipulos cęleſtibus diſciplinis imbueret, non alio, quam olitoris habitu S. Mariæ Magdalenæ conſpiciendum ſe obtulit. Horti floribus conſiti, ut ad ſpeciem ſunt longe venuſtiores, ſic ſolertiorem culturam depoſcunt. Ejus generis flores, coronarii apud Scriptores audiunt; quoniam ex iis coronæ nexiles & plicatiles, in nuptiis, conviviis, ſacrificiis, & victoriis concinnantur. Flores odore, colore, varietate, ſpectatores mira jucunditate alliciunt detinentque. Nuſquam vires ſuas ſuavius, pulcrius, & illecebroſius exercuiſſe naturam dixeris. Recepti interdum in vaſa teſtacea, tumuliſque & podiis elati, longo excurſu lineatim producuntur; vel areolas ipſas æquo dimenſu diſtinguunt atque præſepiunt. Orbicularibus, angularibus, quadrangularibus diviſuris eleganter conſepti atque diſpoſiti. In iis excolendis præcipuus labor in irrigatione impenditur. Propterea e ſectis canaliculis non temere & effusè aquæ profluant, ſed certis intervallis quaſi ad numerum diſtributæ. Quod ſi hydria ſuperfunduntur, non inconſulto & præcipiti jactu, ejiciendæ ſunt, ut inundent; ſed ſyphunculo crebris foraminibus pertuſo attemperate diſtribuendæ. Hujus generis hortos habitationi proximos conſtrui æquum gratumque fuerit. Nam eorum olfactu viſuque mirum in modum animi reficiuntur & hilareſcunt. Hortorum etiam nomine poſtremo

 nuncu-

nuncupamus loca præcelſis arboribus ad voluptatem & delicias conſita; ſive in prolixas ambulationes arbores marginentur; ſive complicatis ramis concameratæ jucunda nos umbroſaque ſtatione detineant. Ex hoc genere ſummam celebritatem obtinuerunt apud Romanos horti Pompejani, & Lucullæi, ſtatuis etiam, nobiliſſimiſque ſtructuris ornati. Apud exteros vero cultiſſimi commemorantur horti Heſperidum, in quos aurea ferentes mala, & pervigili draconi in cuſtodiam traditos, Hercules mactato colubro penetravit. Amœniſſimi etiam feruntur Alcinoi, Pheaciæ Regis, horti, & Babylonii penſiles, ſuffulti ſcilicet ingentibus pilis, arcuatiſque ſubſtructionibus, quos alii Cyrum, alii Semiramidem condidiſſe ſcripſerunt. Famigeratiſſimi poſtremo ſunt apud Mythologos Elyſii, de quibus plura habes apud *Virgilium l. 6.*

I

IBEX. Genus capræ mirandæ pernicitatis, ut refert Plinius: in ſummis rupium faſtigiis habitat. Harum cornua a fronte ad nates producuntur; eaque ſunt magnitudine, ut ſingula excavata trium congiorum menſuram impleant. Ex iiſdem arcus & pocula prægrandia formari tradit Ælianus.

IMPORCO, as. *Colum.* Eſt arando terram redigere in porcas, ideſt in terram elatam inter duos ſulcos. Id autem fiebat tertia aratione.

INARO, as. Non eſt aro, ut ſolet exponi; ſed arando fimum, ſtercus, vel aliud quidpiam pro fimo adaggerare, & terræ miſcere. *Varro: Lupinum pro ſtercore inarare ſolent.*

INCERNICULUM. *Plin.* Idem ac cribrum; nempe inſtrumentum,

tum, quo a ſordibus frumenta purgantur: ab incerno, vel cerno, quod eſt ſeparare.

INFUNDIBULUM. *Cato*. Inſtrumentum, quo vinum, oleum, liquores alii in vaſa infunduntur. Item canalis, per quem frumentum in molam devolvitur.

INOCCO, as. Apud Columellam eſt operire & obruere ſemina, glebis ſarculo diſſolutis. Vide *Occo*.

INOCULATIO. *Plin.* Genus inſitionis, quæ fit in ſolo cortice; ideoque debilis & infirma, & levibus etiam auris obnoxia, quæ illam facile dejiciunt. Conſtat adaperto oculo, ſive gemma, in cortice exciſo unius plantæ, incluſoque ibi germine ex alia planta ſublato. Virgilius illam nitide ſic exponit.

Nam qua ſe medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, anguſtus in ipſo
Fit nodo ſinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt; udoque docent inoleſcere libro.

Hoc genus non admittunt arbores, quæ minimum habent humoris: nam ſiccitas corticis aut non excipit, aut facile diſſolvit inoculationem. Vide ſequentem Titulum.

INSITIO. De inſitionis invento præclarum habemus teſtimonium ex Cicerone *de Senect. Nec conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones, quibus nihil invenit agricultura ſolertius*. Ubi conſitionem ſationem ipſam vocat. Non caruit inſitio apud Romanos ſuo Numine & præſide. Is Inſitor eſt appellatus; neque enim ſationi præerat, ut parum diligenter affirmat Hofmannus, cum ſationi Sator Deus præficeretur. Inſitio eſt ſurculi unius plantæ in aliam unio & coagmentatio. Ea adoptione & quaſi connubio conſequitur admirabilis illa converſio, de qua *Virgilius*:

Miraturque novas frondes, & non ſua poma.

Duplex eſt inſitionis genus: alia in trunco agitur; eaque firmius & tenacius inoleſcit, propter caudicis duritiam, alia in cortice, quæ ob hujus levitatem laxius hæret, & facile diſſolvitur. Vera inſitio, ejuſque maxime uſita-

uſitatum genus eſt inter lignum & corticem. Sumitur autem ſurculus præacutus, ut Cato præcipit, inditurque in rimam præciſam; tum circumligatur, argilla vel creta concretus; fimoque bubulo & arena oblinitur. Hoc genus Itali vocamus *Incalmare*, a calamo; quoniam ſurculus ad modum calami cuſpidatus immittitur. De vulgari hac inſitione *Ovidius*:

——— *fac ramum ramus adoptet;*
Stetque peregrinis arbor operta comis.

Vulgata etiam eſt inſitio, cum truncus ipſe per medium ſcinditur, in quem ſurculus cuſpidatim deciſus adigitur; tum luto oblinitur, foliiſque & corticibus tegitur adverſùm Solis ardorem, ventorum impetum, & imbrium copiam. Rubis etiam circumveſtiri ſolent contra pecorum morſus. Monent porro Scriptores, ut poſtea circa plantam terra adaggeretur, ne eidem calores officiant. Hoc genus ſic expreſſit *Virgilius*:

Aut rurſum enodes trunci reſecantur, & alte
Finditur in ſolidum cuneis via; deinde feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad Cœlum ramis felicibus arbor.

Inſitio per terebrationem in vitibus potiſſimum locum habet apud Scriptores. Ex vite adulta, & valide fructus ferente, palmes attrahitur, & per foramen terebra adapertum tranſmittitur; qui mox, vite per terebrationem inoffenſa, oblitus, ut in aliis inſitionibus, & præligatus augeſcit. De inoculatione, & emplaſtratione, quæ reliqua ſunt inſitionis genera, propriis in locis agimus. Jam vero ſi ſationem & inſitionem, quæ duæ ſunt generationis plantarum ſpecies, ſtudioſe perpendas, continuo intelliges ſationi multimodis inſitionem præſtare. Ut enim prætercam nobilius eſſe ex trunco, quam ex terra incrementa capere, quid mirabilius admiſtione illa & ſocietate fructuum diverſorum? Parumne prodigioſam dixeris arborem illam apud Tiburtes, quæ, ut Plinius refert, innumeris pene nodis inſita, tot pomorum

rum genera, quot ramis diffundebatur, oſtentabat? Verum quos ego ramos expendo? quot ſunt ramorum ſurculi, tot ſæpe videas intermicare novella fructuum germina. Addo, quod fidem invenire vix poſſet, niſi exploratum experientia uſuſque redderet. Narro tibi fructus ipſos bifrontes & bigeneres conſpici, ut dimidiati ex una parte pirum, ex alia malum, uvamque hinc nigram, albam illinc oſtendant & proferant. Plane in fructuum partu æmulari artem dixeris permiſtionem illam, qua natura mirifice ludit in nonnullorum marmorum venis diſcolori temperatura miſcendis. Modus vero educendi fructus ex duplici natura coaleſcentes ſic digeritur. Duo diverſi generis ſarmenta accipiantur, quæ per medium ſciſſa ſic arcte jungantur, ut utriuſque oculi in unum quaſi oculum coeant: mox eadem papyro & glutinoſa terra nexa & præligata inſerantur. Quod ſi in plantis diverſi generis tam valide ſciteque procedit inſitio, uniuſque naturæ in aliam converſio, facili negotio percipies, futurum ut longe validius robur plantis accedat, cum iiſdem ſeneſcentibus ejuſdem generis ſurculi adiguntur; ut tamquam redivivæ alacrius adoleſcant. Ad hunc plane modum explicat Plato vim illam, & quaſi neceſſitatem amoris, quæ inter amicos mutua benevolentia conjunctos exoritur, quod Tanſillus ſic eleganter expoſuit:

Fece l'eterna man voſtra ſembianza,
E mia là ſuſo di conformi tempre,
Perche l'idea nel Ciel, l'anima in Terra,
Con più vivace ardor s'amaſſer ſempre,
Dando forza al deſir la ſomiglianza.
Qual tronco, ove s'inneſta, che s'afferra
Col ramo, e in un ſi ſerra;
Tal'io, nel cor tenendo il bel ſimile,
Per farmi più gentile,
Tutto col tempo in lui mi traſformai;
E ſe me ſteſſo amai

Via

Via più che il bel Narciſo, ed amo ogn'ora;
Il penſar che ſon voi, ſol m'innamora.

Sed vim admirabilem & poteſtatem inſitionis aliis inſuper emolumentis licet metiri. Ut autem omittam ab arbore inſita ſapidos magis fructus & uberiores decerpi, proventu etiam celeriori iidem in lucem eduntur. Nam quæ primum nonniſi plurium annorum mora agricolæ expectationem fatigaverat, anni ſæpe unius ambitu, fructu edito nitere conſpicitur. Ad hæc quæ longa temporis diuturnitate ſilveſcunt arbores, & quaſi defatigatæ deficiunt, ſuomet ſurculo inſito reviviſcunt, redeuntque in vires priſtinas. Certare tunc omnino videntur officiis arbor & ſurculus: hic imbecillæ & deficienti vigorem impertit, illa fœtum inſitum fovet, ut plane fungi nutricis bonæ munere videatur. Supereſt, ut quæ in inſitionibus obſervanda præcipiuntur ſaltem indicem in tranſcurſu. Ex tenera & feraci arbore ſumantur ſurculi anniculi, crebris nodis prægnantes, bifurci, vel trifurci, quique digiti minimi craſſitudinem non excedant. Negant plantæ ſciſſuram in nodo eſſe aperiendam propter ejus duritiem, quæ ſurculum advenam repudiat, nec ſinit coaleſcere. Quo proximius terræ inſeritur ramulus, eo citius & validius ſoboleſcit, ob humoris terrei propinquitatem, ex quo alimonia ſuppeditatur. Sunt qui arbores in ſilvis inſitas transferant in pomaria; alii contra in ipſis pomariis ſilveſtres inſerunt. Quod attinet ad idoneum inſitionis tempus, cum aliæ aliud expetant, earum naturæ, & regionum uſui eſt inſerviendum.

INTERORDINIUM. *Colum.* ſpatium inter ordines arborum.

INTERVALLUM. *Cic.* Non ignoro haberi ab Etymologicis vocem caſtrenſem, a vallis, nempe palis, quibus caſtra ſepiuntur. Fateor tamen id mihi mirum accidere. Cum enim antiquius ſit ordinari vallos in re agreſti, ac præſertim in vineis, quam in caſtris, ſatius etiam putaverim intervallum dici ab interſtitiis, & menſura ſpatii ſervata in vitium, vel arborum diſpoſitione, quam in diri-

dirigenda, vel claudenda metatione caſtrorum. Sed vide hic titulos *Diſpalo*, & *Quincux*.

IRRIGATIO. *Cic.* Herbæ & arbores nihilo ſecius quam ſenſu prædita animalia cibo potuque indigent. Ut autem fimi & ſtercoris aſperſio pro herbarum plantarumque cibo habetur, ſic earum potus eſt irrigatio. Duplex autem eſt, ut aquarum, ſic irrigationis genus. Alterum natura exhibet, arte alterum comparatur. Iterum aquarum, quæ ex natura proveniunt, duplex genus eſt. Nam & Cælum tempeſtivos imbres miniſtrat; & flumina, quaſi riguæ totidem venæ, terram interſecant. His aquis beneficio naturæ agros, montes, ſilvas, terramque univerſam benigne irrigatam colimus. Ubi pluviæ deſunt, & fluenta per Solis ardores minimum humoris impertiunt, ars adlaborans aquarum inopiam ſuplet. Nititur autem ars duplici etiam irrigatione; altera per canales deductis aquis, altera manuum miniſterio aſperſis. Cæleſtium aquarum irrigatio ad culturam maxime proficit, præſertim ſi ab Aquilone pluviæ demittantur; quoniam frigore valeſcunt agri, Auſtrinis flatibus debilitantur. Diurnis imbribus nocturni, propter prolixiorem humoris moram, & Solis abſentiam, potiores habentur. Intempeſtivæ merito reputantur pluviæ, quæ plantis floreſcentibus, vel erumpentibus fructibus decidunt: nam immodico humore vitiati vel pereunt, vel inficiuntur. Cum vero non ſit noſtræ poteſtatis advocare, cum opus fuerit, pluviales imbres, culturæ neceſſitas ſæpius cogit eorum inopiam arte ſupleri. E rivis proinde aquæ deducuntur, vel jactu idoneo aſperguntur. Duo autem ſunt ſedulo providenda: alterum ut matutinis horis vel veſpertinis fiat irrigatio, ne radiis ſolaribus aqua ferveat, humoremque adimat potius, quam augeat. Alterum, ut aquæ deductæ vel aſperſæ vitio careant, præſertim ſalſugine, aliiſque ſordibus & inquinamentis. Sed nec liquore obruenda ſunt germina; nam, ut monet Horatius,

——— *irriguo nihil eſt elutius horto.*

Meminerit demum agricola, quemadmodum temperato cibo potuque ipſe ad bonam valetudinem proficit, ſic agrum, vineam, hortum ſobria commodaque irrigatione lætari, immodica infirmari atque deficere: ad morboſam enim ſitim pertinet vulgatum illud

Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

JUGERUM. *Varro.* Menſura agraria. Continet pedes ducentos & quadraginta in longitudinem, centum & viginti in latitudinem. Dicitur a jugo, quoniam, uno boum jugo acto, ſic terra exarari poteſt in dies.

JUGUM. *Plin.* Dicitur de vite tranſverſa, nixaque duplici pedamento, ad ſimilitudinem jugi bovini apud aratores.

JUMENTUM. Dicitur de animalibus, quæ magna mole, & validis viribus prædita, operam ſuam arando & vectando agricolis præſtant, cujuſmodi ſunt muli, equi, aſini, boves &c. Plerique vocis originem a juvando trahunt, quoniam labores ruſticos adjuvant. Alii a jungendo deducunt, quia aratro & vehiculis jumenta junguntur. Addit Gellius vehiculum ipſum appellari jumentum; ſic enim ſcribit l. 2. c. 1. *Jumentum non ſolum ſignificat quod nunc dicitur, ſed vectabulum etiam, quod junctis pecoribus trahebatur.* Ob auxilia operibus ruſticanis a jumentis præſtita non ſolum condita eſt ars veterinaria, quæ vecturis præeſt, ſed inſtitutum etiam Romæ Collegium Jumentariorum, ut conſtat ex veteri inſcriptione apud Fabrettum: LOCUM SEPULTURÆ DONAVIT COLLEGIO JUMENTARIORUM. Addo, ipſis jumentariis additum curatorem & præſidem, Superjumentarium appellatum, ut legitur apud Svetonium in *Claud. c. 2.*, ubi vide notas Caſauboni.

JUNCETUM. *Varro.* Locus juncis conſitus.

JUVENCUS. Bos juvenis; nec proinde a juvenili ætate dicitur, ſed a juvando, ut docet Varro. Idem Scriptor quatuor bubuli pecoris ætates diſtinguit. Sunt enim primum vituli, mox juvenci, poſtea novelli, poſtremo

vetuli boves. Juvenci interdum agro arando junguntur, ut aſſueſcant. Cæterum ad eum laborem, ut ſegetes abunde proveniant, jungendi ſunt boves majores.

L

LABOR. Exercitatio gravitate, vel aſſiduitate moleſtiam pariens. Dicitur a *labe*, quoniam vires diſſipat & labare cogit. Durum labor aſperumque nomen, ſed poſt primi Hominis lapſum noſtro generi neceſſarium; idemque, ſi rem ipſam ingenue fateri volumus, vitæ humanæ adminiſter & pater. Quidni vero? cum nonniſi labore habitemus, veſcamur, veſtiamur, omniaque vitæ munera tranſigamus. Adde torpentem calorem, ſopitoſque ſpiritus labore excitari, diſcutique humores noxios, non ſecus ac ventilatione in areis frumenta expurgantur. Otio ſane & deſidia, ut ſitu ſtagnantes aquæ, putreſcunt corpora, utque ferrum morſu rubiginis, corroduntur. Neque vero alimenta ſolum, & reliqua vitæ ſubſidia labori accepta referri æquum eſt, ſed meminiſſe in primis oportet effati Euripidis, qui laborem patrem gloriæ nuncupavit. Quomodolibet enim quiſpiam ſui nominis memoriam propagare contendat; ſive bellicis, ſive litterariis diſciplinis, rerumque urbanarum adminiſtratione, ad id nonniſi labore auſpice eſt connitendum. *Dantes Can.* 1. 24.

Omai convien che tu così ti ſpoltre,
Diſſe 'l Maeſtro, che ſeggendo in piuma,
In fama non ſi vien, nè ſotto coltre:
Senza la qual, chi ſua vita conſuma,
Cotal veſtigio in terra di ſe laſcia,
Qual fumo in aere, od in acqua la ſchiuma.

Divinæ nimirum ſolummodo naturæ eſt, ſine labore & laſ-

laſſitudine bonorum omnium poſſeſſione lætari: mortalium vero nemini citra defatigationem quidquam egregium conſequi licet. Mirari contigit mihi, inter conſertiſſimam illam Deorum turbam, qui cultum, aras, & pulvinaria apud Romanos invenerunt, locum Labori nullum fuiſſe; cum cæteroqui in Via Labicana Fanum Quies habuerit: *Liv. l. 4. Cum hæc agerentur, jam Conſul Labicana ad fanum Quietis erat*. Sed & Virgilio ſuccenſendi non ſemel impetum cepi, qui Laborem Fami, Morbis & Egeſtati aſſociatum ad Orci veſtibulum relegavit. Actum profecto non incurioſe ſolum a Romanis, ſed a Virgilio etiam injurioſe cum labore, cujus tam ampla, tam copioſa in noſtrum genus beneficia atque promerita recenſentur. Ut enim miſſa faciam quæ apud innumeras artes alias a labore in Rempublicam commoda proficiſcuntur, a ſolis agreſtium miniſteriis tot in nos adjumenta derivantur, ut eidem non laute ſolum largeque vivendi, ſed vitæ ipſius cauſas debeamus. Profecto ſi ſationem, inſitionem, paſtinationem, terræque ad culturam exercitæ genera univerſa accurate numeres atque perpendas, continuo intelliges nullum agricolis quieſcendi ſpatium relictum; nullam anni particulam a pervigili & laborioſo opere vacuam ſupereſſe; ut plane labor in re agreſti curanda imperium quoddam regnumque obtinere videatur. Nuſquam certe aptius, quam iſthuc referas catenatos illos, quos Martialis memorat, exantlandos labores, quorum alii ex aliis ſubinde nectuntur, ſeſeque numquam intermiſſi ſudoris diſpendio excipiunt. At inquies, præter emolumenta proventuum, ſuo agrorum cultores compendio quæſtuque non carent. Nam & vivitur parvo bene, ut refert Horatius; & a quæſita poſt laborem fame, ſitique cibus potuſque dulcior redditur. *Dantes Purg. Can.* 22.

Lo ſecol primo, quant'oro, fu bello:
Fè ſavoroſe per fame le ghiande,
E nettare per ſete ogni ruſcello.

Somni

Somni vero delinimenta nihil præſentius, quam laſſitudo ipſa parit atque commendat. Neque enim, ut idem Horatius teſtatur,

——— *leves ſomnos timor, aut cupido*
——— *ſordidus aufert*;

Sed potius; ut idem Vates alibi cecinit,

——— *ſomnus agreſtium*
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non zephyris agitata Tempe.

Nam quod attinet ad nobilium urbium magnificentiam, & marmoreas Patriciorum domos, earum aſpectu ægreſcunt potius & perturbantur agreſtes turbæ; nimirum aſſuetæ liberiore aere, patente circum cælo, & camporum amœnitate lætari. *Dant. Parad. Cant.* 26.

Non altrimenti ſtupido ſi turba
Lo montanaro, e rimirando ammuta,
Quando rozzo e ſelvatico s'inurba.

Vera quidem ſunt iſthæc, quibus aſſentior cum Horatio, qui procul negotiis agentes ruſticos prolixe dilaudat; & cum Virgilio, qui eoſdem

——— *fortunatos nimium, ſua ſi bona norint*;

pronunciavit. Neque enim illud ago, ut de eorum vita minus commode ſentiendum eſſe evincam, cum illam plurimis Scriptorum præconiis illuſtratam, & apud clariſſimas nationes nobilium virorum uſu fuiſſe nobilitatam, mihi ſit teſtatiſſimum. Sed neque inficiari quemquam poſſe contendo, unam omnium eſſe laborioſiſſimam, eamque ob cauſam de Reipublicæ felicitate quam præclariſſime meritam. Propterea quemadmodum Campania a Latinis Provinciæ Felicis appellatione inſignitur, eademque ab Italis nuncupatur, *Terra di Lavoro*; non abſimili modo de univerſa ruſticorum exercitatione, vitaque judicandum eſſe exiſtimo; ut eadem ſorte ſua quidem felix, cæterum laborum gravitate & aſſiduitate præ cæteris impendio exercita cenſeatur.

LA-

LABRUM. *Cato*. Vas amplum, quo e lacu vinum transfertur; item quo e torculari fluit oleum expreſſum. Labrum a lavando dicitur. Eſt autem proprie margo, & extrema ora fluminis, fontis, rivi: atque hinc oris, aliarumque rerum extremitates, quæ aqua, vel alio humore perfluuntur, labra appellantur. Labrum ideſt vas æneum ad ingreſſum Tabernaculi teſtimonii legitur Exod. c. 30. 18. *Facies & labrum æneum, cum baſi ſua, ponesque illud inter Tabernaculum teſtimonii & Altare*: Quo vaſe adumbratur ablutio a peccatis, habita per Divinum Sanguinem Chriſti Domini.

LABRUSCA. *Colum.* Vitis agreſtis & erratica: dicitur a labris, nempe extremitatibus, ideſt ſepibus agrorum, ubi naſcitur. Quidam a ſapore acerbo deducunt.

LAC. *Virgil.* Succus maternorum uberum, quo primum animalia nutriuntur. Ex Græco dicitur a candore. Non ex agris ſolum prognatum, ſed ex ipſis paſtorum & ruſticorum manibus expreſſum habemus vitale hoc & ſincerum alimenti genus. A lactis copia indicatur terræ fertilitas. Hinc apud *Hierem. c.* 11. terram lacte & melle manantem, exponunt Interpretes fertiliſſimam. Lac muliebre omnium perfectiſſimum, tum caprinum, deinde ovillum, poſtremo vaccinum affirmant Scriptores. Caprini prærogativam extollunt Mythologi, qui Jovem eodem nutritum memorant. Nutriciam ejuſdem Capram in Cælum Aſtronomi tranſtulerunt. Locum in Inferiis præcipuum lac olim habuit: *Virgil. Æneid.* 3.

Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte,
Sanguinis & ſacri pateras, animamque ſepulcro
Condimus.

LÆTAMEN. *Plin.* Fimus, qui agris jacitur; ſic appellatus, quoniam ſegetes lætas facit. Vide *Fimus*.

LACHANUM. Idem ac olus: a foſſione apud Græcos dictum; quoniam naſcitur in ſolo, foſſione ad id parato. *Horat.*

Ad porri & ciceris refero, lachanique catinum.

Sic enim legendum, non autem Laganum, ut in eum locum

locum Horatii habet Acron. Eſt autem Laganum paſtillus eſculentus vulgo *Laſagna*, qui butyro recenti, & caſeo raſo aſpergi ſolet. Ab eodem Acrone ſic deſcribitur: *Lagana ſunt quædam quaſi membranulæ ex farina & aqua, quæ jure pingui coctæ, & caſeo, pipere, croco, cynnamomoque conditæ in cibis dantur*. De iiſdem hæc habet Vet. Diction. *Fiunt lagana de paſta, quaſi quædam membranulæ, quæ quandoque in oleo friguntur, & poſtea melle condiuntur; quandoque prius in aqua coquuntur, poſtea in oleo friguntur*. Cæterum quemadmodum vox *Laganum* barbara eſt, ſic placenta eo nomine indicata poſterioribus ſolum, ut opinor, ſæculis eſt cognita. Ex eadem farina, parique conditura fiunt etiam paſtilli rotundi, quos Itali vocant *Maccaroni*: quod genus cibi non habet apud Latinos ſingularem appellationem. Vox Italica *Maccarone*, ſi a Græcis origo accerſatur, beatum quidpiam ſonat.

LACRYMA. Vide *Plantatio*.

LACTURSIA. Vide *Runcina*.

LAPPA. *Virg.* Herba ex genere tribulorum, cui ab apprehendendo ex Græco nomen; quoniam recurvis aculeis hamata veſtes apprehendit, eiſque ſe pertinaciter innectit. Eadem ſegeti infeſta: *Ovid.*

Miſta tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.

LATIFUNDIUM. *Plin.* Magnus fundus.

LAURETUM. *Plin.* Locus lauris conſitus.

LEGARIUM. Apud Varronem idem eſt ac legumen. Vide *Legumen*.

LEGULUS. Qui mercede conductus, vel in rei collectæ partem vocatus olearum baccas, vel ſimile quidpiam colligit. Quam caute, & honeſte, bonaque fide ſe leguli gerere debeant, Cato præſcribit per hæc verba: *Oleam ne ſtringito, neve verberato injuſſu Domini, aut cuſtodis. Oleam qui legerint, omnes juranto ad Dominum vel cuſtodem, ſeſe oleam non ſurripuiſſe*. Curandum proinde legulis, ne ita arbores quatiant, ut ſurculi abſcindantur;

tur; poſterique anni fructus pereant. Mores colligendi pro regionum uſu calleant, & diligenter obſervent. Stipendio pacto augeri rem ſuam ſatis habeant: diteſcere Dominorum damno, aſportatis domum baccis, omnino caveant; lucrumque eſſe non modo conſceleratum, ſed vel turpiſſimum putent.

LEGUMEN. *Virgil.* Quod e terræ frugibus naſcitur, ſiliquis involutum; cujuſmodi ſunt piſa, fabæ, lentes &c. Dicitur a legendo, quoniam non ſecatur, ſed vellendo legitur. Cibus eſt admodum tenuis & frugalis, parum ad alimoniam & virium firmitatem, pluſculum ad corpulentiam faciens. Idcirco præter leguminum naturam contigit, ut Daniel, & ſocii, cum iis veſcerentur, adhuc formoſiores conſpicerentur pueris Regis Nabuchodonoſoris, qui cibo regio utebantur. Daniel. cap. 1. 8. & ſeq. *Tenta nos obſecro ſervos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad veſcendum, & aqua ad bibendum: & contemplare vultus noſtros, & vultus puerorum, qui veſcuntur cibo regio; & ſicut videris, facies cum ſervis tuis. Qui audito ſermone hujuſcemodi, tentavit eos diebus decem. Poſt dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui veſcebantur cibo regio.* Adhiberi olim moris erat legumina in cœnis feralibus, tempore lugubri, & ad evocationes vita functorum. Cum enim cibus ſit qui probe implet, ſed nutrimenti parum apportat, emortualibus illis epulis congruens aptuſque cenſebatur. Eodem edulii genere utimur, cum ſolemne jejunium dierum quadraginta e ritu Catholico continuamus pœnas, & mortem ſanctiſſimam Chriſti Domini, noſtræ ſalutis pharmacum, in ejuſdem fine commemorantes. Quinimo idem cibus ad veſcendum alicubi diſpenſatur, quo die Defunctorum Orthodoxam Fidem profitentium, memoriam pie ſancteque recolimus. Nec tamen omittam perpendere, vilia cæteroqui legumina plurimi apud Romanos fuiſſe habita. Rem teſtatiſſimam faciunt illuſtres Familiæ Piſonum, Fabiorum,

biorum, Lentulorum, & Ciceronis, quæ a piſo, ſaba, lente, & cicere ſibi cognomina aſciverunt; nihil minus præſtantes ea frugalitate, & moderationis exemplo, quam virtute militari Africani illi, Aſiatici, Britannici, & Numantini, qui provincias ipſas domitas ſuo nomini indiderunt.

LENS. Legumen notum. Iſidorus ſic appellari putat, quod lentus ſit cibus humiduſque. Alii lentem, quaſi lenem interpretantur. Favet iis Plinius, qui eo edulio æquanimitatem ingenerari ſcribit. Meo ſuffragio utrumque etymon recidit ad leguminum omnium naturam exprimendam, quæ ſunt eſca tenuis & moderati alimenti. Laudatur ab antiquis magnopere lens Ægyptia. *Virg. Georg.* 1.

Nec Peluſiacæ curam aſpernabere lentis.

Item Martial.

Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem.

Famigeratiſſimum præſtitit hoc genus leguminis infelix Eſau, qui primùmgeniti jure ſe abdicavit, ut ejus eſu potiretur. *Geneſ. c.* 25. 30. *Et ſic accepto pane, & lentis edulio, comedit & bibit, & abiit, parvipendens quod promigenita vendidiſſet.*

LEPORARIUM. Teſte Varrone, olim locus erat concluſus, ubi ſoli Lepores alebantur. Tranſiit poſtea ea vox ad ſignificationem conſepti omnis generis animalium.

LIBER. *Plin.* Corticis arborei tunica interior, quæ carni, ideſt ligno adhæret. In arborum ac præcipue palmarum foliis ſcripſere primum Veteres. *Virg.* de Sibilla *l.* 6.

——— *quæ rupe ſub ima*
Fata canit, foliiſque notas & nomina mandat.

Foliis libri ſucceſſerunt. *Plin. l.* 13. 11. *In palmarum foliis primum ſcriptitatum, deinde in quarundam arborum libris.* Arbores autem erant papyrus, quæ tamen magis proprie frutex eſt, in aquis Nili ſtagnantis proveniens; & tilia, cujus arboris libri philyræ appellantur. Libris arborum tabellæ ligneæ ſucceſſerunt, in quibus cera illitis ſtylo ſcribebatur. Inventæ poſtmodum membranæ,

ideſt ovillæ pelles, pilis deterſis. *Perſius*.

——— *& poſitis bicolor membrana capillis*.

Quibuſdam præterea animalium inteſtinis ad ſcribendum uſi. Hinc Homeri Ilias, & Odyſſæa inteſtino draconis exarata legitur apud Zonaram. Poſtremo ad linteamina & carbaſa eſt deventum, quæ concerpta, & aquis macerata, atque contuſa, materiam ad ſcribendum admodum mundam & perpolitam ab aliquot ſæculis ad vertentem ætatem magna copia ſubminiſtrant.

LILIETUM. *Pallad.* Locus liliis conſitus.

LIMES. Vide *Terminus*.

LIRA. Apud Columellam idem eſt ac porca, ideſt terra editior inter duos ſulcos. Lirare autem, ſeu liras facere, eſt aperire ſulcos, in quos ex porcis aqua defluat, quod fiebat tertia aratione, jacto ſemine; quæ aratio liratio dicebatur. Vide *Deliro*.

LOLIUM. Frumenti abortus. Naſcitur ex tritico & hordeo, corruptis ſeminibus ob uliginem, vel immodicos per hiemem imbres. A Virgilio infelix dicitur, ideſt infœcundum. Sed & vitioſum morboſumque eſt; capiti præſertim propter inductam gravedinem; ac interdum ſtuporem, maligne noxium.

LORA. Vide *Vindemia*.

LUCUBRATIO. Opus laborioſum, & proprie ruſticum, quod fit ante lucis exortum, vel deficiente luce. Columella lucubrationes ruſticas ſic diſtinguit in antelucanas & veſpertinas: *Item ad lucubrationem veſpertinam palos decem conficere, totidemque per antelucanam lucubrationem*. Per uſurpationem poſtea factum, ut ſtudioſorum ſcriptiones lucubrationes dicerentur; opera nimirum nocturnis vigiliis elaborata.

LUCUS. Per antiphraſin a nonnullis dicitur, quoniam propter arborum opacitatem non lucet. Trahunt alii contra a crebris luminibus, propterea quod iis illuſtraretur: nam religionis ergo lumina & faces ibidem accendebantur ex ritu veteri Ethnicorum. Profecto incæduus habebatur

lucus,

lucus, & manu conſitus, idemque religioſus & ſacer, Numini cuipiam dicatus, vel conſecratus cineribus vita functorum; ac proinde prope delubra & ſepulcra paſſim locabatur. Hinc Servius in notis ad Virgilium obſervat, ubicumque legitur lucus, apponi continuo conſecrationem:

——— Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

Idem indicatur Deuteron. 16. 22. *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Adde Ciceronis teſtimonium *pro Milon.* -- *Vos enim, Albani tumuli, atque luci, vos, inquam, imploro atque obteſtor.* Licet autem luci non eſſent cædui, licebat tamen amputare ramos ſuperfluos, & ſuccidere fulguritos. Hoc enim ipſum ad cultum religioſum pertinere opinabantur, ut perennes eſſent arbores, ſub quarum umbra moris erat convenire populum, ibique largiter perpotare, choreiſque & cantibus indulgere.

LUPERCALIA. Solemnia erant apud Romanos feſta, a Romulo inſtituta in honorem Lupæ nutricis olim ſuæ, & Panos, paſtorum Dei. Celebrabantur a paſtoribus, capra immolata, variiſque ludis exercitis. Alii advecta reputant hæc ſacra in Latium ab Evandro ex Arcadia; Romulum vero addidiſſe mactationem canis, quod animal eſſet Lupis infeſtum. Vide *Ovid. Faſt.* 1. 2.

LUPINUS. Legumen notum, inſigniter amarulentum. Zeno, ut Athenæus narrat, interrogatus, cum admodum ſeverus eſſet, cur in convivio hilareſceret, reſpondit, lupinos etiam natura amaros, aqua perfuſos dulceſcere. Plinius author eſt, Lupinos ita circumagi, ut die nubilo iis utantur agricolæ ad horas dignoſcendas. *Diſtant æra Lupinis*, adagium eſt ex verſu Horatii: docet ficta a veris diſtare plurimum. Oritur ab uſu Veterum, qui in Comœdiis, ut indicat Plautus, lupinis maceratis pro nummis utebantur. Cæterum Lupini viliſſimum ſunt edulium, auſterique ſaporis acrimonia merito a Virgilio triſtes appellati.

——— *triſtiſque lupini*
Suſtuleris fragiles calamos.

Lupus. Animal notum: nota ejus voracitas & crudelitas, in oves præſertim exercita. Neque enim ſatis habet jugulare ad famem explendam, ſed totum gregem, niſi a paſtoribus & canibus abſterreatur, interimit, ſervata in dies alios prædæ parte, quam abſumere pridem non potuit. De ejus rapacitate & ingluvie in Sacris & profanis Litteris abunde ſuppetunt teſtimonia. Et quoniam acutiſſimo viſu eſt præditus, ut nocte etiam illuni eodem utatur, eo potiſſimum tempore divagari ſolet atque graſſari. Excurrunt ſæpe aſſociati. *Statius*;

——— *procedunt gemini, ceu fœdere juncti,*
Haberna ſub nocte lupi.

Interdum etiam turmatim, quo modo, teſte Plinio, repulerunt Æthiopes, incurſantes agros Ægyptiorum, qui ibidem civitatem ea cauſa conſtruxerunt, quam a Lupis Lycopolim appellarunt. Valent Lupi mirum in modum animo & robore. Idcirco Marti olim dicati; ipſique paſſim a Scriptoribus Martiales dicti. Feruntur iis, quos ipſi primum vidiſſent, vocis uſum adimere. Hinc ortum adagium; *Lupus eſt in fabula*; quo utimur, cum ſuperveniens is, de quo erat ſermo, loquendi facultatem amputat. *Lupo ovem commiſiſti*; alia eſt parœmia: uſurpatur cum cuſtodi nequam aliquid ſervandum committitur.

M

MACERIA. Vide *Conſeptum*.

MAGALIA. Idem ac mapalia Ædificia, caſæque ruſticæ Afrorum & Numidarum. Incurvis lateribus, ad formam carinarum ædificatæ, plauſtris circumferebantur. *Virgilius*.

Miratur molem Æneas, magalia quondam.

MAJALIS. *Varro*. Sus caſtratus.

MALLEOLUS. Diminutivum a malleo, fabrili inſtrumento. Translate palmes viteus, qui ſic deſcribitur a Columella. *Malleolus novus eſt palmes, innatus prioris anni flagello, cognominatuſque a ſimilitudine rei, quod in ea parte, quæ deciditur, ex veteri ſarmento prominens utrinque, malleoli ſpeciem præbet*.

MAMMA. *Plin.* In arborum corticibus illud eſt, ex quo primum germina naſcuntur.

MANDRA. *Martialis*. Quodvis ovium, boum, & hujuſmodi receptaculum.

MANIPULUS. Ab implenda manu dicitur. Proprie eſt faſciculus, vel quantum fœni vel herbæ quis manu poteſt metendo apprehendere. Translate certus eſt ordo militaris, ſic appellatus, quoniam Romulus collecta ruſticorum manu, iiſque in centurias diviſis, eiſdem perticas cum fœni faſciculis alligatis inſigne bellicum tradidit. *Ovid.*

Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos;
Inde maniplaris nomina miles habet.

MANNUS, & diminutivè MANNULUS. *Horat.* Pullus equinus; equus pumilus, gradator: aliis burdo, vel buricus.

MAPALIA. Vide *Magalia*.

MARRA. Inſtrumentum herbis excindendis comparatum. *Colum.*

MA-

MASCULETUM. *Plin.* Locus ubi arbores & vites, præſertim maſculæ, conſeruntur. Sunt autem vites maſculæ, quæ, tamquam ſui juris, ſinuntur in altum creſcere; nec ſubiguntur, ut alios emittant palmites.

MATURA. Dea præſes frugibus maturandis. *S. Auguſt. de Civ. Dei.*

MATURITAS. *Cic.* De fructibus dicitur; & eſt eorum vi caloris perfecta coctio: cum neque marcidi, neque caduci, neque auſteri ſunt, ſed decerpi aut colligi ad uſum poſſint. Primum enim fructus guſtatu acerbi, poſtea maturitate dulceſcunt. Translate maturum dicimus quod eſt opportunum, tempeſtivum, & commodum. Morum item gravitatem appellamus maturitatem, quæ in ſenibus potiſſimum commendatur. Vide *Fructus.*

MEL. *Plin.* Libum omnium facile dulciſſimum: non apum ſolummodo, ſed agricolarum etiam ſtudio elaboratum. Ex agris naſcitur, herbarum fragantium floribus, & humore roſcido conflatum. Succus eſt calidus ſiccuſque, quem apes in ventriculo fermentatum, ore reddunt. Initio dilutior, poſt aliquot dies fervet, ut muſtum, & expurgatur. Coaleſcit poſtea obductus membrana tenui, qua fervens ſpuma concreſcit. Quamvis Virgilius mel cæleſte donum appellet, & ex rore ſolum matutino gigni Celſus exiſtimet, non eſt tamen aliqua ſaltem ex mellificii parte ſolum herbidum defraudandum. Nam præcipui ſaporis eſt, quod ex thymo conficitur. *Virg.*

——— *redolentque thymo fragrantia mella.*

Hinc apiarii pro augurio proventus uberis habent eam herbam large florentem. Palladius & Varro jubent agricolas ſerpillum copioſe ſerere, ut pabulum apes habeant, quod, thymo excepto, præſtantius herbis reliquis a ſerpillo comparatur. Idem Palladius hyacinthum, Columella vero origanum apibus gratiſſimum, in hortis abundanter haberi præcipiunt. Sunt, ut Plinius refert, qui affirmant apibus non conficiendi mellis ſcientiam eſſe, ſed colligendi. Verum ſive naturæ ſit, ſive potius

artis

artis magiſterium illud, inficiari nemo ullus poteſt, apes humanis uſibus ſolertiſſimas eſſe adminiſtras: utque nimis fortaſſe audacter ſcripſit Quintilianus particulam divinitatis aliquam iis eſſe ingeneratam, ſic non ſine ipſarum merito Ariſtodemus Philoſophus in earum natura inveſtiganda, ut refert S. Auguſtinus, plures annos, Ariſtomachus vero Solinenſis annos duodeſexaginta, Cicerone authore, inſudarunt. Equidem ſi mellis, ſuaviſſimi earum partus, prærogativas commemorandas ſuſciperem, in referendis Veterum documentis, quæ in profanis extant Sacriſque Litteris, nullum dicendi exitum invenirem. Satis fuerit meminiſſe, mellis dulcedini ſapientiæ guſtum æquiparari: *Proverb.* 23. 13. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt, & favum dulciſſimum gutturi tuo; ſic & doctrina ſapientiæ animæ tuæ.* Ut autem prætercam eſu, potuque, & condimentis mel juncundiſſimum eſſe, ſatis conſtat in pharmacis etiam adhiberi, quod Sacræ item indicant Paginæ, ubi legitur medelam fuiſſe mel adverſus Jonathæ cæcitatem: *Reg. c.* 14. 29. *Illuminati ſunt oculi mei, eo quod guſtaverim paululum de melle iſto.* Sed & pollinctores olim cadavera melle inungebant, ne computreſcerent: quod in Alexandri Magni cadavere obſervatum memorat Statius:

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Ob eam laudem a putredine corpora vindicandi, in omnibus fere ſacrificiis mel uſurpatum; eodemque libatum Diis omnibus Æthnicorum. In Hebræorum tamen Sacris mel adoleri vetitum *Levit. c.* 2. Haud equidem quoniam apes impurum animal haberetur, utpote ex putribus natum boum viſceribus; ſed propterea quod mel adinſtar frumenti acore quodam cibos vitiat, & bilem exſuſcitat. Idcirco etiam ſaporem vini admiſto melle corrumpi author eſt Plutarchus. Ab Ariſtæo mellificium repertum eſſe plerique opinantur. Ejus fabulam, & ex boum viſceribus prognatas apes Diodorus hiſtorice, Virgilius poe-

poetice late memorant. Ovidius mellis inventorem Bacchum pronunciat. *Faſt. l.* 1.

Liba Deo fiant, ſuccis quia dulcibus ille
Gaudet, & a Baccho mella reperta ferunt.

Commendatur admodum mel Africanum, Cretenſe, Cyprium. In pretio eſt etiam Hyblæum, ab Hybla dictum, Siciliæ oppido, nunc diruto, ubi ingens thymi copia. *Martial.*

Et careat dulci Trinacris Hybla thymo.

Nec tamen Hyblæum comparandum eſt Attico, aliis Cecropio, & Hymettio, ab Hymetto, qui mons eſt prope Athenas. *Martial.*

Cum dederis Siculos mediis e collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu licet eſſe favos.

Idem alibi:

Hoc tibi Theſei populatrix miſit Himetti.

Plinius l. 21. author eſt, Heracleæ in Ponto mella progigni pernicioſiſſima; ut diſcas dulciſſimis etiam voluptatibus parum eſſe fidendum: ſæpe enim illæ, Herculis more cum Anteo pugnantis, ideo nos amplectuntur, ut maſtent.

MESSIS. *Virgil.* Segetum omnis generis, ſed præcipue frumenti collectio ex area. Nihil agunt, imo operam perdunt agricolæ ſatione aliiſque ruſticis laboribus, niſi ex jactis ſeminibus, & plantis conſitis, fructus percipiant. Hinc meſſis & vindemiæ tempora, frugum copia, penſant ſudores annuos, & multiplici labore agros exercitos. Hinc præ lætitia geſtientes & exultantes agreſtium animi, cum largo proventu comprobatur divina ſponſio. *Levit.* 26. 5. *Apprehendet meſſium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem, & comedetis panem veſtrum in ſaturitate.* Cum meſſis matura eſt, metendum propere; antequam Solis æſtu agri torreantur. Sæpe enim ex majoris lucri cupiditate orta cunctatio meſſem vehementer extenuat. Detrimento quippe ſunt aves, aliaque animalia, quæ prædæ inhiant: ſed & grana ipſa culmis

culmis ardentibus decidunt, non levi diſpendio. Præterea ex præſcriptione Columellæ utilius eſt, ut tempeſtive deciſæ ſegetes in ipſa area, vel in acervo, quam in agro incrementa capiant. Non unus pro regionum varietate, metendi uſus. Alicubi in aream ſpicæ corbibus comportantur, ſtramentis juxta terram falce ſucciſis, quæ poſtea in acervum tolluntur. Utuntur alii batillo, ideſt ſerrula ferrea, adunca, quæ manipulos, faſciculos nempe ſpicarum, manu apprenſos, in medio diſecat, relictis ſtramentis, quæ poſtea ſubſecantur. Grana a paleis ſecernuntur variis item apud gentes varias inſtrumentis. Perficiunt id aliqui tribulo, ideſt tabula ferro vel lapidibus exaſperata, qua junctis jumentis pertracta, grana a ſpicis diſcutiuntur. Apud alios jumenta perticis agitata unguium percuſſione grana exterunt, quæ poſtea vannis vel ventilabris in altum evibrantur, cum perflat ventus commodior. Ea agitatione recrementa, utpote leviſſima, extra aream jaciuntur; quod eſt ponderoſum, nempe grana, in corbes conjicitur. Lenes Favonii flatus aptiſſimi habentur ad ſecernenda a paleis frumenta. Nec proinde æquo cunctantius eos flatus opperiri par eſt. Contigit nempe ut diuturnior mora, ſuperveniente turbine, grandine, & tempeſtate, frumenta diſperdat. Itaque ſi ad plures dies ſilebit favonius, vel maturanda ventilatio eſt, quacumque ſpirante aura, vel grana baculis excutienda ſunt, & vannis expurganda, ne irriti totius anni labores recidant.

META. Congeries lignorum, fœni, paleæ, & ſimilium. *Columella. Quidquid ad eum modum ſiccatum erit, in metam conſtrui conveniet.*

METATOR. *Cic.* Qui agrum in partes dividit. Frequentius in re caſtrenſi uſurpatur.

METRETA. Amphora Attica, congios decem capiens. Vas plerumque olearium. *Cato. Oleum ſi in metretam novam inditurus es, amurca, ita ut eſt cruda, prius colluito, agitatoque diu, ut bene combibat.*

O Mo-

Modius, & **Modium**. *Plin.* Actus quadratus continens centum & viginti pedes in longitudinem, & totidem in latitudinem.

Mola. *Cic.* Machina, qua frumenta & fruges teruntur. Manu primum actæ, dictæque manuales. Succeſſerunt verſatiles, truſatiles, aquariæ, pneumaticæ: nempe a jumentis, aquis, vel vento verſatæ.

Mulctra. *Virgil.* Vas, in quo mulgentur capræ, vaccæ &c. *Mulgere hircum*, adagium eſt de labore irrito, vel de re abſurda.

Mulus. *Cic.* Animal notum, ex aſino & equa genitum. Oneribus vectandis operam præſtat.

Murcia. Dea deſidiæ, ut habet *S. Auguſtin. de Civit. Dei*. Opponitur Deabus Agenoræ & Stimulæ. Monet Murcia inertiam, otium, torporem ab agricolis vitandum eſſe. Agenora & Stimula ad opus & laborem hortantur, quo ars terræ excolendæ unice proficit.

Muscus. *Ovid.* Lanugo viridis & villoſa, arborum corticibus innaſcens.

Myrtetum. Locus myrtis conſitus. *Virg.*

Littora myrtetis lætiſſima.

Uſus myrtorum tonſilium frequens eſt in topiariis; nam odoratum eſt herbæ genus, & perenni viriditate perdurat.

NA-

N

NAPINA. *Colum.* Locus napis conſitus: Napus autem genus eſt rapæ obtuſæ & brevioris.

NAUCUM. *Plaut.* Putamen omnium rerum, ſed præcipue nucis, olivæ, & ſimilium. Homo nauci eſt homo nihili.

NEBRIS. Mira eſt Scriptorum diſſenſio ſuper hac pelle. Decipi eos ſuſpicor, qui hinnuli pellem interpretantur, cum omnia fere Poetarum teſtimonia ſilveſtrium animalium pellem agnoſcant. Iis tectæ Bacchantes patrem Liberum, iiſdem indutum, ſequebantur. Dianæ venatricis ſociis, ipſique Dianæ tribuitur. Cervinam pellem alii, alii damarum, lyncis, vel caprearum exponunt. Conſtat maculis fuiſſe conſperſam. *Stat.*

——— *hic flavam maculoſo nebrida tergo*:

Cujus authoritate nixus Barthius in *Statii Animad.* tigridis corium extitiſſe cenſet. Auro etiam ornata legitur. Idem *Statius*:

——— *varioque aſperſas nebridas auro*.

Poſtremo etiam gemmis. *Claudian.*

Talis Erythræis incinctus nebrida gemmis
Liber agit currus.

NEMUS. *Virg.* A paſcuis dicitur ex Græco. Eſt enim nemus arboribus ad voluptatem conſitum, comparatumque ad greges & armenta paſcenda. Valla docet differre nemus a ſilva, quoniam hæc cædua eſt, a luco, quoniam religioſus, a ſaltu, quoniam jumentis paſcendis conſitus. Verum iſthæc indiſcriminatim uſurpari conſtat. Nemora intra urbem etiam olim leguntur condita; utque per hiemem in xyſtis, apertiſque ambulationibus, ſic per æſtatem ad umbras nemorum negocia expediebantur,

tur, & exerceri mos erat litterarias diſputationes. Numa nocturnos cum Egeria congreſſus habuit in nemore Aricino. *Ovid.*

——— nemori, ſtagnoque operata Dianæ
Nympha, Numæ conjux, ad tua templa veni.

Templum ibidem Dianæ Aricinæ poſitum, quod columnis in pronao fuiſſe ornatum refert Vitruvius *l.* 4. *c.* 7. Idem templum nemus etiam dicebatur, ex quo Diana nemorenſis appellata eſt. Exiguus ibidem lacus, Speculum Dianæ, & Lacus Triviæ nuncupatus. Additum in colle oppidum ad ſpeciem caſtri, Nemus itidem dictum.

NOVALIS, & NOVALE. *Virg.* Ager, qui priore anno ceſſavit, poſtea primum aratur: a novando. Plinio eſt ager, qui alternis annis ſeritur: Feſto, novæ ſementi relictus; Varroni, qui intermiſſus renovatur; aliis, qui prius ſilva fuerat, aut certe non cultus. Rei ruſticæ Scriptoribus concinit Virgilii monitum:

Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.

Quemadmodum enim corpora animalium diuturnis laboribus defatigata, minus apta obeundis miniſteriis poſtea experimur; ſic etiamſi terram quotannis aratro, ligone, bidentibus, proſcindas atque dilaceres; utque ſegetum proventu ditior fias, agitatione perpetua ſic invertas, ut quod fuerat porca, ſit ſulcus, quod ſulcus, erigatur in porcam, brevi continget, ut evaneſcant deinceps exuberantes agri; & ipſa ſegetum copia inopiam pariat. Scite Ovidius:

Quæ numquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali,
Fructibus aſſiduis laſſa ſeneſcit humus.

Appoſite Petrarcha a ſimili:

E per troppo ſpronar la fuga è tarda.

Nihil efficacius ad novos labores animos præparat, quam remiſſio & quies ab exantlatis. Validiſſimi etiam arcus aſſidua jaculatione laxantur: *Ovidius*:

Si

Si numquam ceſſes tendere, mollis erit.

Optime id noviſſe viſi ſunt Romani, qui, cum Deos alios intra Urbem recepiſſent, Quieti fanum erexere in via Lavicana, optimo conſilio demonſtrantes campeſtre ſolum, pluſquam Curiæ forique negotiationes, ceſſatione indigere.

NOVELLETUM. *Pandectæ*. Vinea novellis vitibus conſita. Hinc novellare, paſtinum facere, vites novellas ſerere. *Sveton. in Domit.*

Edixit, ne quis in Italia novellaret.

NUBILARIUM. Ædificium prope aream, ubi condi poſſunt fruges demeſſæ cælo nubilo. Sic deſcribitur a Varrone: *Ædificium facere oportet, ſub quod tectum totam fundi ſubjicere poſſis meſſem, quod vocant quidam nubilarium. Id ſecundum aream faciendum, ubi triturus ſis frumentum, magnitudine pro modo fundi, ex una parte apertum.* Addit Columella id in Italia præſertim comparandum eſſe propter Cæli inconſtantiam in eâ regione; nam ubi æſtates pluvia carent, ſupervacaneum eſt.

NYMPHÆ. Vide *Silvanus*.

O

OBBA. *Perſius*. Vas vinarium, amplum, ex ligneis aſſerculis, vinculis item ligneis vel ferreis colligatum. Confici etiam ſolet ex ſpartho. Mihi illud eſt, quod circumferre ſolent viri religioſi, vicatim ſtipem petentes.

OCCA. Inſtrumentum ruſticum. Vide *Occatio*.

OCCATIO. Exercitatio ruſtica, inter præcipuas habita. Occare eſt glebas confringere, & quaſi cædere. Et quidem a cædendo dicitur apud Feſtum. Poſt arationem per tranſverſum iteratum ſequitur occatio; cum aratores, bobus dimiſſis, glebas comminuunt, & jacta ſemina condunt, iiſdem

iiſdem diſſolutis. Hinc occationem Cicero *de Senect.* quaſi obcæcationem exponit: *Primum id obcæcatum cohibet; ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt;* videntur enim obcæcari ſemina, cum ſuperjectis glebis operiuntur. Id autem fit ruſtico inſtrumento, quod ligneo manubrio nexum, tranſverſumque in fine habet dentatum aſſerculum, quod ruſtici occam appellant; idemque vel ipſum eſt raſtrum, ſeu pecten, vel ab iis minimum diſcrepat. Ducta proinde occa, agri ſuperficies complanatur, æquatis porcis, & quaſi conſepulto iiſdem glebis jacto ſemine. Eam exercitationem Columella pulverationem nuncupat a glebis extritis: *Pulverationem faciunt, quam vocant ruſtici occationem, cum omnis gleba in vineis refringitur, & diſſolvitur in pulverem.*

OCULUS. In re ruſtica eſt id, ex quo arbor germinat, quod etiam gemma appellatur. *Virg.*

Nec modus inſerere, atque oculos imponere ſimplex.

OLEA. Arbor nobiliſſima, & humanis uſibus omnium, quotquot natura prodidit, aptiſſima: utpote quæ, cum plantarum principatu gaudeat, longe minore ſumptu & labore exculta, liquorem nulli ſecundum miniſtrat. Agnoverunt ejus excellentiam Mythologi, quia a ſapientiæ Dea procreatam commenti ſunt. *Virg.*

——— *oleæque Minerva*
Inventrix.

Ejuſdem pulchritudinem deſignant Sacræ Litteræ. *Eccleſiaſtic.* 24. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis.* De fructuum præſtantia teſtimonium habemus *Pſalm.* 51. 10. *Quaſi oliva fructifera in domo Dei.* Sed & gloriæ immortalitas a perenni hujus plantæ viriditate demonſtratur *Oſeæ* 14.7. *Erit quaſi oliva gloria ejus.* Propterea rite factum a Varrone, qui initio ſui operis de re ruſtica, Minervam, cujus eſt Oleæ patrocinium, deprecatur. Præcipuum in modum honorifice olim habita apud Athenienſes, qui eamdem, ut patriam arborem, omnibus officiis proſequebantur: *Senec. Hercul. Fur.*

Te

Te ramus oleæ fronde gentili tegat.

Lege autem cautum erat, mulctæque pecuniariæ in eos additæ, qui eas evellerent, niſi forte, idque admodum raro, ad uſum templorum & ſacrificii. Ideo in arce oleam religioſe detentam Cicero *de Legib.* teſtatum reliquit. Solemnitates vero apud Athenienſes nullæ, nulla feſta celebrabantur, in quibus coronæ oleaginæ non geſtarentur. Iis frondibus e publico donati qui e præliis, vel ex agonibus victores rediiſſent. Traſibulus autem, cum, ſublatis triginta Tyrannis, ad libertatem priſtinam Urbem reſtituiſſet, in laborum & victoriæ præmium, ejuſdem frondis coronamento inſigniri ſatis habuit. Cum Athenienſibus in oleis condecorandis Romani certarunt. *Plinius*: *Oleæ honorem Romana majeſtas magnum præbuit, turmas equitum idibus Julii coronando, item minoribus triumphis ovantes.* Serto ex oleis plexo Æneas donavit victores in ludis Curulibus: *Virg.*

——— *tres præmia primi*
Accipient; flavaque caput nectentur oliva.

Decus olearum omnium pulcherrimum ab omni ævo fuit, ut pro pacis ſymbolo haberentur. Præferebant eas manibus ſuplices, cum victorum iram deprecabantur. *Virg. lib.* 7.

Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.

Item Statius *Theb. l.* 2.

——— *ramumque precantis olivæ*
Abjicit.

Et *l.* 12.

Ipſe manu ramoſque oleæ, vittaſque precantes
Tradit.

Ubi vero Miſericordiæ templum deſcribit, oleas ſingularem in modum commemorat:

Mite nemus circa, cultuque inſigne verendo,
Vittatæ laurus, & ſuplicis arbor olivæ.

Cum enim dulciſſimus ſit oleæ liquor, mollique tactu blande ſe & leniter inſinuet, appoſite admodum ad eum

nexum

nexum ſignificandum aſſumitur, quo diſſidentes animi pace & concordia conciliantur. Exemplo id memorabili commonſtrare voluit ſummus rerum Conditor, cum poſt terras a cæleſtibus pluviis latiſſime inundatas & obrutas, columbam ad Noe, olivæ ramum roſtro geſtantem, remiſit, qua generi humano pacatum ſe benigne ſignificavit. Apud Ethnicos vero Scriptores vix ulla occurrit conglutinandæ pacis tractatio, quin olearum ramos quaſi pararios & ſequeſtres habuerit. Evandrum Æneas ſic alloquitur apud *Virgilium l.* 7.

Optime Grajugenum, cui me fortuna precari,
Et vitta comptos voluit prætendere ramos.

Idem ibidem:

Centum Oratores auguſta ad mœnia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.

Quingenti ex primaria Græcorum nobilitate, teſte Diodoro Siculo, ad Artaxerſem Sidonem obſidentem, ramos oleæ manu deferentes, pacem deprecantur. Carthaginienſes velata ramis oleaginis nave, Annibalis juſſu ad Scipionem miſſi, ut concordiam implorarent. Eam vero prærogativam ad commiſerationem flectendi animos nomine ipſo olea indicat, quod a miſericordia origine Græca deducitur. In ſacrificiis etiam olearum coronæ plicatiles adhibebantur. *Virg. l.* 5.

Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit.

Lignum oleaginum, utpote æquali levore contextum, non dehiſcit in rimas, nec tinea aut teredine corrumpitur. Idcirco ſigilla & toreumata ex iis elaborata perennitatem quamdam habent. Cum vero innumeri pene uſus & commoda ab olea percipiantur, illud eſt in ea præcipuum, quod, ut ait Columella, facile colitur, & neglecta non deperit. Genus oleæ duplex diſtinguitur: ſilveſtre aliud, aliud urbanum ſive domeſticum. Silveſtre

ſtre oleaſtrum vocamus. Naſci ſolet ex ſativæ nucleo, vel ex ejuſdem incuria: ſæpe enim ex olea deſpecta, & inculta fit oleaſter. Fœcundior tamen eſt olea domeſtica; ut fere omnes ſilveſtres arbores. Aſpectu horridior & impexus: cæterum perenni vigore in longa temporum ſpatia perdurat. Domeſticæ & ſativæ oleæ duplex iterum genus eſt: nam aliæ ad eſcam, aliæ ad liquorem excoluntur. Priores illæ, vel virides, ut ait Cato, muria; vel contuſæ lentiſco condiuntur. Poſteriores, non ſolum ad eſcarios, ſed ad alios varioſque etiam uſus aſſervantur. In univerſum quæ majores ſunt oleæ ad eſcam, quæ minores ad oleum aptantur. Ex edulibus conditaneæ quædam nucis juglandis magnitudinem æquant. Ejuſmodi ſapidiſſimæ ex Hiſpania, in Italia vero ex Aſculi Piceni olivetis proveniunt. De iis *Martialis*:

Si mihi Picena turdus palleret oliva.

De Hiſpanis ex Bætica præſertim provincia idem:

Bætis olivifera crinem redimite corona.

Solum albicante argilla glareoſum, ſolidum, ſiccumque, idemque collinum fere & montanum ſiliceum, oliva deſiderat. *Virg.*

Difficiles primum terræ, colleſque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumoſis calculus arvis,
Palladia gaudent ſilva vivacis olivæ.

Campeſtre ſolum uvidum, & uliginoſum, in frondes quidem luxuriat, minimum vero aptum fructui ferendo cenſetur. Sunt tamen, qui conditivis paulo craſſiorem agrum aſſignant. Cæterum quemadmodum oleta arduis plerumque & acclivibus locis lætantur, quoniam Solis ardores attemperantur flatu ventorum, ſic commode admonet Columella, in æſtuoſis & præfervidis locis ad boreales auras, in frigidis autem gelidiſque, ad proſpectum Auſtrinum eſſe obvertenda. Habenda tamen in primis ratio naturæ plantarum, quæ, ut non exiguam varietatem habent ſub eodem genere, ſic non eamdem omnes culturam depoſcunt. A proximo certe mari oleta

ſunt removenda propter invectam a ventis ſalſuginem, quæ corroſos flores exurit. Neque enim commotus undis aer Favonios, oleis propitios, ſemper expirat; ſed meridianis ſæpe ardoribus prægnantes auras, vel Aquilonias, prægelidaſque, & urentes apportat. Non levi naturæ beneficio contigit, ut, cum olea nobiliſſima ſit arbor, & humanis uſibus maxime neceſſaria, multiplici tamen modo naſcatur. Satio per ſemen ſola probari non ſolet, tum propter longævam temporis diuturnitatem, qua indiget, tum ob deteriores fructus, qui, delaſſatis cunctatione ſæculis, progignuntur. Sunt qui craſſiores ramos, trunco proximos adimunt, eoſque in rectum ſtantes obruunt præfoſſis ſcrobibus; tum terra ſenis vel ſeptenis pedibus cooperiunt; nodoſa magis parte ſuperextante, ut uberius germinent. Uſitatus conſerendi modus eſt, ut plantæ cum radicibus, capite & brachiis deciſis, terræ defigantur, deſignato prius loco per infixum palum, glebiſque circum adaggeratis. Diſſecant alii, ut Columella & Palladius referunt, radices ſilveſtrium arborum, eaſque in ſeminariis vel olivetis probe ſtercoratas infodiunt. Conſitio per taleas omnium eſt probatiſſima. Deciduntur taleæ, novelli nempe ramuli, ex feraciſſimis plantis adempti, craſſitudine, quantam manus comprehendit, & terræ mandantur. Solius inter arbores oleæ, ut docet Theophraſtus, peculiare & prodigioſum ſationis genus eſt per ſtipitem a ſumma ad imam partem diſciſſum, & terræ depactum. *Virg.*

Quin & caudicibus ſectis, mirabile dictu,
Truditur e ſicco radix oleagina ligno.

Ut omnia demum in pauca contraham, nego in univerſa arborum nomenclatura ullam eſſe plantam tot modis prolificam, tamque amplo fœnore cultorum laboribus reſpondentem. Nec tamen proinde inficiandum eſt, fructus alternis ſolum annis oleam ferre; licet quandoque continuo eos biennio contigerit etiam emittere. Fructus quoque & plantæ incrementa ſero proveniunt; idcirco

circo oleam tarde creſcentem Virgilius vocat. Quod attinet ad ejus arboris culturam, ablaqueationem, inſitionem, aliaque ruſtica miniſteria, in propriis ea titulis digeruntur. De præſtantia fructus oleagini, vide inferius in *Tit. Oleum*. Mihi vero veniam, Lector, indulgere, obſecro, ne graveris, ſi de hac arbore paulo proliχiorem commentationem attexui. Noveris me iſthæc ſcribere in ſeceſſu Urbis Tiburtinæ, ubi me ex Romano, quo utor, domicilio, amœnioribus hiſce ſtudiis operam navandi gratia, benigne detinent Moderatores mei. Hujus autem Urbis ager lætiſſimis olivetis tam ample ex omni parte eſt conveſtitus, ut perpetuo earum arborum perenne viridantium, quamlatiſſime agi poteſt, proſpectu animus mirifice capiatur & hilareſcat.

OLETUM. *Cato*. Locus oleis conſitus.

OLEUM. Liquor ex olivis expreſſus. Ut hujus liquoris claritudo & ſublimitas eluceſcat, nihil neceſſe eſt a priſcis ſæculis repetere conſuetudinem eodem Pontifices, Reges, Sacerdotes inungendi; nedum commemorare ritus varios conſecrandi, quæ ſancta & maxime religioſa eſſe volumus. Satis ſuperque fuerit meminiſſe verborum, quæ habemus Pſalm. 44. 8. *Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*: quibus cumulus & amplitudo indicatur cœleſtium donorum, quorum copia Deus humanam naturam Chriſti Domini locupletavit. Oleo apud Judæos, Romanos, & Græcos vita functi illinebantur. Palæſtritæ ante luctationem eodem corpora madefaciebant, & inſpergebant pulvere, ut firmius membris apprehenſis hærerent manus, & ictus non fruſtrarentur in lubrico. *Stat. l. 6.*

Poſtquam oleo gaviſa cutis, petit æquor uterque
Procurſu medium, atque hauſta veſtitur arena;
Tum madidos artus alterno pulvere ſiccant.

Eodem liquore adverſus Romanos aggreſſores in obſidione Hieroſolymorum feliciter uſos Judæos ſic enarrat Joſephus in Excid. *Cum Romani ſe invicem adhortati jam*

 latera

latera junxiſſent, ac deſuper protecti longioribus ſcutis inexpugnabilem globum feciſſent, muroque ſuccederent, tunc ille ferventi oleo eos perfundi jubet. Quod Judæi prompte & cupide fecerunt, ipſis etiam ahenis bullientibus in eos miſſis. Quæ res Romanorum connexionem ſolvit; & cum magno dolore e muris abibant præcipites. Celerrime enim oleum a capite ad pedes per omnia ſeſe arma inſinuabat, & carnem inſtar ignis depaſcebatur. Genus olei ex bitumine, vel ex occultis terræ venis, teſte Strabone, naſcitur in Parthia, & Suſiana, quod potentiſſimum pyrothechniæ genus merito reputatur; ex quo creditur imbutus Hercules periiſſe concrematus in Monte Oeta. Olei vivi nomine is liquor circumfertur, aliter naptha appellatus. Non ſolum in lucis alimentum, & in cibis condiendis oleum adhibemus. Vim habet medicamentariam præſentiſſimam ad fovenda vulnera, ut demonſtrant Sacræ Litteræ *Luc.* 10., ubi Samaritanus oleo infuſo ſemivivi hominis vulnera curaſſe legitur. Corporum vero ſalubritas & firmitas mirum in modum eo liquore comparatur. Hinc Democriti effatum; *Intus mel, deforis oleum*, pro certiſſimo valetudinis tuendæ munimento. *Oleum & operam perdere*: formula a Plauto, & Cicerone uſurpata, abiit in ſermonem popularem, cum laborem irritum indicamus. *Oleo tranquillior*: item ex Plauto: dicitur de ſedatis & pacatis ingeniis, ab oleo, quo nullus lenior ſuccus. *Oleum addere camino*; Horatii eſt dictum, ſermone vulgari etiam tritum. Effertur in eos, qui ad iram incitatos novo fomento & ſuſcitabulo extimulant: ut ſiquis camino prunis ardenti oleum ſuperfunderet.

OLIVETUM. Locus oleis conſitus. *Cic.*

OLIVITAS. Tempus olivis legendis idoneum. *Colum. Largiſſimis olivitatibus, liberiſque vindemiis exuberant.*

OLUS. *Horat.* Complectitur hoc nomen genus omne herbarum edulium ſativarum. Cibi genus eſt a Pythagora & ſociis commendatus; qui ab eſca, quæ animalium morte comparatur, abhorrebant. *Juvenal.*

Vive

Vive virentis amans, & culti villicus horti,
Unde epulum poſſis centum dare Pythagoræis.

Ab alendo olus nonnulli trahunt, quoniam iis homines alerentur, frugibus nondum inventis. Varro ab olla deducit. Oleribus ab antiquis præſes & cuſtos Priapus additus, propterea quod horti olitorii cultum, qui uberrimus eſt in re agreſti univerſa, ejus Dei fœcunda ſalacitas adumbraret. Temperatum cœlum olera expoſcunt: nam humidis in locis valeſcunt quidem æſtate, ſed hieme flacceſcunt; contra in ſiccis vigent hieme, ſed æſtivis caloribus aduruntur. Vide *Hortus*.

OLITOR. *Cic.* Qui curam habet horti olitorii, vel olerum venditor.

OMPHACIUM. *Plin.* Immaturæ & acerbioris uvæ ſuccus.

OPILIO. *Colum.* Paſtor ovium, quaſi ovilio.

ORYZA. *Horat.* Alii inter legumina, inter frumenta alii orizam, tamquam genus hordei, reponunt. Culmo cubitali, vel ſeſquicubitali, & hordaceo ſimili, naſcitur. ſpicata ſub flavo folliculo grana claudit, pellucida, duriuſcula, & candoris eximii. Magna ex parte in aquis reſidet: gaudet enim uliginoſo & paluſtri loco. In Oriente, ac præcipue apud Sinenſes, magna copia provenit, & frequentiſſimo eſt in uſu. Neque enim ad pultes, ut apud Italos, ſed in tritici ſuplementum utuntur. Validum eſſe, & valetudini firmandæ aptum edulium Theophraſtus, Scriptoreſque omnes affirmant. Sunt populi, teſte Strabone, qui excuſſum, & in areis toſtum ſacramento meſſores adigunt ne alio aſportent; veriti ne ea mercis permutatione regiones aliæ diteſcant, ciboque facile parabili ipſi careant. Apud Columellam oryza hordeum diſtichum & galaticum appellatur, quoniam binis verſibus ordinatur, & candidum eſt hordei genus. A voce *Oryza*, amputata priore ſyllaba, fit vox Italica *Riſo*.

OVILE. Vide *Ovis*.

OVIS. *Cic.* Pecus balans, lanigera. Animal impenſe ſimplex,

plex, timidum & imbecillum. Idem damnis & periculis præ cæteris obnoxium; ideoque perpetuo regimine indiget, quod tamen non detrectat, paſtoribus mire morigerum. Morbis facile vitiatur, potiſſimum vero ſcabie: *Colum. Oves frequentius quam ullum aliud animal ſcabie infeſtantur*. Cæterum homini plurimum conferunt; nihil enim deperit ex iis quibus conſtant: omnia nobis miniſtrant utilia, lanam, carnem, pellem, fimum, lac. Multo proinde eorum merito ſcripſit Columella: *Ovilli prima pecoris ratio ſit, ſi ad utilitatis magnitudinem referas*. Hoſtiarum maxima propter ingenitam placiditatem ovis habebatur: *Servius*: *Maximam hoſtiam ovilli pecoris appellabant, non ob amplitudinem corporis, ſed ab animo placidiore*. Eadem in luſtrationibus vivo ſulphure imbuta cremabatur. *Ovid.*

Cærulei fiant puro de ſulphure fumi;
Tectaque fumanti ſulphure balet ovis.

Divinos honores ovibus impertitos memorat Clemens Alexandrinus. Ægyptiis vero vetitum ovillis carnibus veſci, quod ſacrum illud animal reputarent. Cum vero Cambiſes Peluſium, teſte Herodoto, obſideret, ante aciem oves collocavit, quo conſilio inhibuit tela Ægyptiorum. Romani vero quemadmodum triumphum agentes honorabant bove mactato, ſic ove immolata excipiebant ovantes; atque hinc, authore Plutarcho, ovantibus appellatio. Singularem in modum a paſtoribus curanda & cuſtodienda ſunt ovilia propter luporum nocturnas inſidias & rapacitatem. *Ovid.*

Incuſtoditum captat ovile pecus.

Pervigili præſertim canum cuſtodia, & paſtore ipſo inſopito, ſeptiſque, quammaxime fieri poteſt, validis continendæ ſunt oves campeſtribus in locis. *Lupo ovem committere*, parœmia eſt ab effato Terentii, qua monemur, ne rei cujuſpiam curam iis tradamus, a quibus magis metuimus.

P

PALA. Inſtrumentum ruſticum, quo terra vertitur. *Plin. Juncoſus ager pala verti debet, ſaxoſus bidentibus.*

PALEA. Calamus cujuslibet frumenti, quo ſpica continetur. Varro trahit a *palam*; alii a Pale Dea. *S. Auguſtin. de Civit. Dei. Quis paleæ dedit vel tam frigidam vim, ut obrutas nives ſervet, vel tam fervidam, ut poma immatura maturet?* Ex palea concinnant eleganter artifices vaſcula, thecas, & id genus opuſcula. De flabello ex iiſdem contexto ſic olim Poeta cecinit:

Felici ariſte, che in bel giro ordite
Spirate un dolce e luſinghiero fiato;
E a disfidar l'iſteſſo Sole uſcite,
Forſe perche v'inaridì nel prato.
Quaſi picciole frezze il Sol ferite,
Che prima ei ferì voi di raggi armato;
E mentre ferve più Etra infuocato,
I Zefiri e Favonj partorite.
Dall'acceſo Leon fulmini invano
Eſtivo Sole; oggi ſi prende a gioco
I ſuoi dardi focoſi ingegno umano.
Tant'egli s'adoprò, che a poco a poco,
Qualor ſi trattan da leggiadra mano,
Forzò le paglie a ſminuire il foco.

PALES. Paſtorum Dea, paſcuis & pecori præſes. A pabulo dicta, aliis a pariendo, quod pecorum partui præſit. In hujus honorem inſtituta Palilia, feſta celebrata a paſtoribus ad armentorum morbos depellendos, arcendoſque a paſcuis lupos. Eo die conditam Urbem Romam ſcribit Cicero *de Divin. Urbis etiam noſtræ natalem diem repetebat*

bat ab iis Palilibus, quibus eam a Romulo conditam acce- pimus.

PALILIA. Vide *Pales*.

PALLAS. Dea oleæ inventrix. Rationem etiam ex olivis oleum exprimendi prima monſtravit Athenienſibus, apud quos ſolummodo procreatas oleas ſcribit Herodotus.

PALMES. *Colum.* Flagellum, ſeu ſarmentum, quod ex trunco vitis emergit, ex quo enati oculi ſeu gemmæ in virgulas abeunt, quæ palmæ, ideſt manus digitos imitantur, ex quo palmitis eſt appellatio. Singulari benignitate dignatus eſt Chriſtus Dominus nos, ejuſdem ſervulos, ſuos palmites, ſe vero vitem appellare. *Joann.* 15. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites.*

PALMETUM. Locus palmis conſitus. *Plin.*

PALUS. Lignum acutum, quod terræ defigitur, & vites præcipue ſuſtentat. *Tibull.*

Hic docuit teneram palis adjungere vitem.

PAMPINATIO. Pampinare vites eſt, ex coliculis, a flagello ſeu ſarmento vitis eductis, unum vel alterum relinquere, alios decerpere, ne relictis ſuccum præripiant; & ex immodica exuberantia fructus inopia naſcatur. *Colum. Identidem pampinent, ne plura ſarmenta, quam debent, excreſcant.* De pampinationis utilitate & neceſſitate idem Scriptor: *Magis pampinatio quam putatio vitibus conſulit.* Ea exercitatio Stolonis eſt inventum, teſte *Plinio lib.* 17. 1. Eſt autem pampinus capreolus, clavicula, Varroni coliculus, frondoſum nempe illud, quod fructum fovet, & ab æſtu, aeriſque injuria protegit: Græci helices vocant. Non hederaceo ſolum, ſed pampineo etiam coronamento Bacchum Mythologi inſignivetunt. *Horat.*

Ornatus viridi tempora pampino,
Bacchus vina bonos ducit ad exitus.

De lance pampinata fit mentio apud *Trebell. Poll. in Claud. Miſi ad eum pateras gemmatas trilibres duas, ſcy-*

phos

phos aureos gemmatos trilibres duos, *diſcum corymbiatum argenteum librarum viginti*, *lancem argenteam pampinatam librarum triginta*. Pampinatam dicit lancem, in qua pampinorum excurſus flexuoſi, luſuſque ex opere anaglypho cernebantur. Quemadmodum corymbiata vaſa nuncupantur, quæ corymbis, hederarum racemis exculpi ſolent. Non in vaſis ſolum, & toreumatum ornatu, ſed in ædificiis etiam, quæſitis ab agriculturæ fructu vario argumentis exercetur induſtria artificum. Neque vero pampinos dumtaxat, ſed racemos, & pomorum genus omne, complicatis eleganter ſertis, faſciis tæniiſque ad vivum exprimit. Ejuſmodi texturæ exerrantes apud Architectos locum habent in epiſtyliis, zophoris, & antepagmentis, Græcoque vocabulo appellantur encarpi.

PAMPINUS. Vide *Pampinatio*.

PAN. Pecoris Deus: Præſes montium, educatus in Mænalo, Arcadiæ monte ab iiſdem populis divinos honores eſt conſecutus. *Ovid. Faſt.* 2.

Pana Deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades.

Iiſdem populis primus fiſtulam, inventum muſicum paſtoritium commonſtravit. Venationi vehementer addictus, Venatorumque Deus eſt habitus. Imo tamquam totius naturæ parentem priſci mortales Pana coluerunt. Pan ſiquidem apud Græcos univerſum notat. Caprino capite, hircinis cruribus, & enudatus exprimitur in ſimulacris, ut omnes fere ſilveſtres & agreſtes Dii. E ſilvis Pan progreſſus in arenam Martiam tortilem & turbinatam concham, tubæ nempe venatoriæ genus invenit. Quo inſtrumento, clangorem ignotum reddente, fertur in fugam vertiſſe Titanes, adverſus Jovem Deoſque cæteros dimicantes, qui vehementer perterriti, perturbatique eo ſonitu in perniciſſimam fugam abrepti ſunt, minimum ſui compotes, & de ſtatu mentis dejecti. Atque hinc Scriptores accerſunt originem terrorum, quos

a Pane panicos vocant. Vide Theonem interpretem Arati poetæ, & conſule ſequentem titulum.

PANDURA, vel PANDURIO. Vide *Pandurizo*.

PANDURIZO. Occurrit apud Lampridium in *Heliog.* Inſtrumentum muſicum, quod alii trichordum, alii plures calamos ordine decreſcentes, & cera junctos, fiſtulam nempe ipſam, interpretantur. Panos, a quo dicitur, eſt inventum. Meminerunt Martianus, Iſidorus, & nonnulli Scriptores Græci. Erit proinde pandurizare, pandura, vel pandurio canere. Lampridii verba ſunt: *Ipſe ad tibias dixit, tuba cecinit, pandurizavit, organo modulatus eſt*. Vide ibi notas Caſauboni.

PANICULA. *Plin.* Capillamentum lanuginoſum, quod in arboribus picei generis, herbiſque nonnullis ſolet enaſci. Dicitur a panico fruge, quod ea lanugine prætendi ſolet.

PANICUM. Vide *Panicula*.

PARTIARIUS. Qui cum Domino lucrum ex agro & damnum dividit. *Cajus*. *Partiarius colonus, quaſi ſocietatis jure, & damnum, & lucrum cum Domino fundi partitur*. Partiaria pecora dicuntur, quarum fœtus, lanæ, pelles &c. cum paſtore dividuntur & Domino. In re civica particulones appellati, qui cohæredes ſunt, & patrimonii parte potiuntur. *Pandectæ*.

PASCUUM. Vide *Paſtio*.

PASTIO. *Varro*. Actus paſcendi, cum greges & armenta herboſa in loca ad paſturam ducuntur. *Ovid.*

Mille greges illi, totidemque armenta per herbas
Paſcebant.

Paſcua ſunt campeſtria, collina, & montana loca herbida, paſcendo pecori idonea. Hinc ager paſcuus, qui ejuſmodi lætis herbis abundat. Sicuti paſcua proventus uberes fundorum dominis largiuntur, cum minimum tam culturæ, quam ſumptus indigeant, ſic bubulcis & paſtoribus eſt ſolicite providendum, ut aptis ad paſturam ſtationibus pecora detineantur; ne fiat illud Dantis,

Sic-

Sicchè le pecorelle, che non ſanno,
Tornan dal paſco paſciute di vento,
E non le ſcuſa non veder lor danno.

Quemadmodum vero per hiemem apricis paſcuis, & explicata vallium planitie greges lætantur, ſic æſtivos calores in umbroſis montium ſaltibus jucundius tranſigunt temperantque. Ab agris uliginoſis, & paluſtri illuvie fœdis ſunt cohibendi. A ſolaribus radiis, appetente meridie, ad opacarum arborum umbram ut ſeponantur, monet Paſtor Montanus apud *Sanazar.*

Itene all'ombra degl'ameni faggi,
Paſciute pecorelle, omai ch'il Sole
Sul mezzo giorno indrizza i caldi raggi.

Nocturnas vero horas, adverſus rapacium luporum inſidias ita partiantur paſtores, ut præter canum excubias, viciſſim ipſi pervigilent: &, mane primum exorto, cuſtoditi pecoris numerum ineant. Idem *Sanaz.*

Più non dormii, perſin ch'io vidi il giorno,
E 'l grege numerai di corno in corno.

Vide *Paſtor*, & *Pecus*.

PASTINATIO. *Colum.* Opus ruſticum, quo vinea paſtino excolitur. Paſtinum inſtituere eſt agrum vitibus ſerendis deſtinatum, ſubmotis plantis & fruticibus, in latum adaperta foſſa, alte fodere, ſeminaria conſtituere, certoque ordine, & debitis intervallis vites diſponere. Ut verbo dicam, paſtinum eſt vinea novella. Tribus modis ſeruntur vites, ut Columella, & Palladius obſervant; optime in paſtinato, proxime in ſulcis, noviſſime in ſcrobibus. Ductis proinde ex omni latere lineis, reſectiſque plantis aliis, & æquato ſolo, perpetua ſarculis educitur foſſa, rejecta identidem humo poſt tergum, & æqualiter ſuſpenſa. Ad tres vel quatuor pedes terra eruitur, ex Veterum præſcripto, depreſſis in vallibus, lociſque campeſtribus: clivoſa regio profundius eſt ſubigenda. Uſque ad quatuor pedes terram plantarum nutricem eſſe, inferiorem ſterileſcere, Scriptores ferunt.

Poſtquam vero conſitæ ordinatim vites fuerint, caute paſtinum ac prope religioſe eſt habendum, ne a beſtiis proculcetur, ne humanis etiam proteratur veſtigiis, ut novellæ radices libero excurſu ſerpant, molliter ſuſpenſo ſolo, cæleſteſque imbres ad procreandam ſobolem æqualiter excipiant.

PASTINUM. Vide *Paſtinatio*.

PASTOR. Qui gregem & armenta paſcendi curam habet. Sunt qui paſtorem de ovibus curandis, bubulcum vero de bobus proprie dici putant; quo trahunt illud *Juvenalis*.

Paſtoris duri eſt hic filius, ille bubulci.

Sed hoc diſcrimen non obſervatur. A rerum exordio repetenda eſt origo vitæ paſtoritiæ, quam Abelem primum mortalium exercuiſſe docemur a Sacris Paginis. Minimum laborioſa, imo deſidiæ & otio proxima, cæterum ingenua, priſcaque quadam ſimplicitate ſpectabilis eſt vita paſtorum. Statione in dies ſingulos permutata, nihilo minus ipſi, quam eorum greges erratici ſunt. Cum vero per paſcua ſaliunt pecora, ipſi ſub frondoſarum arborum umbra cubantes, aut viridantium camporum proſpectu lætantur, aut cantu, fiſtula, avena, vel tibia reſonante diem tranſigunt: *Virg.*

Tytire tu patulæ recubans ſub tegmine fagi
Silveſtrem tenui muſam meditaris avena.

Non illos indumenti & alimoniæ cura exedit, quæ ſcilicet penes ſe habent; pecudumque illis ubera, lanæ, & pelles, ad vitam, ſi minus laute, certe felicius producendam large ſuppeditant. Licet autem amictu pelliceo, pera, & baculo finiatur ſupellex univerſa paſtorum, adhuc tamen artem paſtoritiam ad reliquarum invidiam nobilitatam omnes agnoſcunt. Neque vero immorabor recenſendis Aſtrologorum commentis, qui ſplendidiſſimis cæleſtium orbium ſignis Arietis, Tauri, Capræ, Hœdique nomina indiderunt. Neque Fabulatorum inventa ſolicitabo, qui Apollinem, & Mercurium eam artem exercuiſſe memorant; ut inſuper conſtet poeticam & orato-

riam

riam facultatem ad nos a paſtoribus perveniſſe; quemadmodum & Aſtronomica ſtudia ab Endymione, item opilione, ſunt commonſtrata. Pana vero, naturæ univerſæ parentem habitum, paſtorum Deum iidem Mythologi conſtituerunt. Iis, inquam, præteritis, ex oraculis Sacrorum Voluminum tam ampla, atque frequentia recenſentur documenta paſtoritiæ nobilitatis, ut de eximia ejuſdem dignitate dubitari non ſinant. Neminem præterit primarios rerum ſacrarum præſides, & Hæbrei populi principes, rem pecuariam ſtudioſe coluiſſe. Ex eorum numero præcipuum in modum David id genus nobilitavit. Quanto enim Tarpeja rupe, & Capitolino apice altius extulit ſeſe Terebinti vallis! quàm feſtivis clamoribus circumfuſa late nemora perſonarunt, cum adoleſcens interritus funda ſolum, pera, & baculo armatus, præferocem & jactabundum Gigantem primo ſaxi jactu proſtravit! Petrarcha.

Ne giacque sì ſmarrito nella valle
Di Terebinto quel gran Filiſteo,
A cui tutto Iſrael dava le ſpalle,
Al primo ſaſſo del Garzon Hebreo.

Non commemorabo, poſt tot victorias reportatas, ſumma cum gloria exercitum regiæ poteſtatis imperium; cum cæteris ejus laudibus cumulus ille, humana omnia honeſtamenta ſupergreſſus, acceſſerit, ut ex ipſius ſtirpe, cilicio ſe noſtræ mortalitatis induerit Verbum Divinum, noſtrarum & ipſe animarum Paſtor, ut benigne teſtatus eſt *Joan.* 10. *Ego ſum Paſtor bonus*. Poſt tam inſigne paſtoritiæ dignitatis exemplum, in medium proferre a caulis & paſcuis ad regium faſtigium evocatos Romulum Romani Imperii conditorem, Gygem Lydiæ Regem, alioſque non ita paucos, piget pudetque. Reliqua ad rem paſtoralem ſpectantia vide in Tit. *Paſcua*, & *Pecus*.

PAVICULA. *Cato*. Inſtrumentum, quo area pavitur, ideſt cæditur & complanatur.

PAXILLUS. *Cic.* Parvus palus.

PECTEN. *Virg.* Inſtrumentum ruſticum; exponi ſolet dentatum, ut raſtrum. Plinius pectinari ſegetes ſcribit, ideſt tracto pectine metere rariores. Origo a pectine textorio, vel a pectine capillos explicante.

PECUARIA.
PECUARIUS.
PECULIUM.
PECUNIA. } Vide *Pecus*, *oris*.

PECUS, oris. Pecora de omni dicuntur animalium genere. *Virg.*

——— *pecori eſt idem delectus equino.*

Idem.

Caprigenumque pecus nullo cuſtode per herbas.

Pecudes vero proprie dicuntur de ovibus; translate apud Varronem, & alios etiam de beſtiis majoribus, Lucretius ad piſces etiam tranſtulit;

——— *mutæque natantes*
Squamigeræ pecudes.

Apud Veteres quidquid quæſtuoſum eſt, aut ad commercium & negotiationem facit, pecunia dicebatur, quoniam mulctæ, reditus, vectigalia, opes quæcumque pecore & paſcuis cenſebantur. *Plin. In tabulis Cenſoris paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat.* A Servio Tullio conflati primum nummi ſignatique nota pecorum, ovis ſcilicet, bovis, vel ſuis figura; ſive, ut eſt etiam traditum, ex pecorum corio primum confecti vulgatique. Inductum poſtea æs publica forma ſignatum, quo utimur in mercimoniis comparandis, rerumque venalium emptione. A pecore fit etiam peculium, quod ſervorum eſt proprium, authore Feſto; & eſt pecuniæ ſumma, quam ſervi, præter ſtipendium, ex induſtria ſibi comparant. Uſurpatur etiam de filiis-familias, qui patrum permiſſu idem faciunt. Sed & caſtrenſe peculium inſuper appellatur, quod ſibi milites ſervant, & ad ſigna deponunt, quo-

quominus de iis deſerendis cogitent. Ex commemorato ab Antiquis pecoris quæſtu propagata eſt, teſte Varrone, Pecuaria, nempe ars parandi paſcendique pecoris, ut ex eo fundo fructus capiantur. Hinc demum Pecuarii, qui antiquitus non paſtores ſolum, ſed prædivites erant patresfamilias, armentis & gregibus affluentes. Jam vero ſuper iis, quæ ad rem pecuariam pertinent, licet plurima in aliis titulis obſervata ſuperius dederim, quædam tamen hic adjicere operæpretium fuerit. Receptiſſimi moris fuit, ut armentorum cuſtodes ſigna quædam candente ferro iis imprimerent, ut unuſquiſque propria ab aliis internoſceret. *Virg. Georg.* 1.

Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit acervis.

Idem Georg. 3.

Continuoque notas & nomina gentis inurunt.

Item Anacreon:

Equi ſolent inuſtum
Coxis habere ſignum.

Ex veteri porro conſuetudine beſtiarum collo tintinnabula adaptantur. Inventum id aliqui putant, ut feræ noxiæ eo ſonitu perterritæ ab armentis arceantur. Verum Sidonius Apollinaris Epiſt. l. 2. 2. author eſt iiſdem alligatas beſtias a feris ſæpius impeti & mactari. Proinde alii iis crepitaculis incinctas cenſent, ut ſi forte procul oberrent, paſtores, ſonitu admoniti, poſſint accurrere ad locum certum, & compendifacere laborem irritum devagandi ad multas horas, ut eas inquirant. In eos qui ejuſmodi tintinnabula ſuffurabantur, Juſtinianus Imperator hanc legem tulit: *Siqui crepitaculum, vel tintinnabulum bovis, aut ovis, aut alterius cujuſvis animalis ſuſtulerit, flagellator, ut fur. Et ſi animal deperditum fuerit, id damnum ſarcito, quod ejus crepitaculum ſuſtulit.* Addo plures exiſtimare tinnitu illo edito oblectari pecora, atque adeo pingueſcere, non ſecus ac delphines in mari tibiæ, vel fidium ſonitu mirifice capiuntur. Profuerit in primis mane & veſpere armenti & gregis nume-

numerum ſubducere, ſingulis ſub virga tactis. *Virg. Eclog.* 3.

Biſque die numerant, ambo pecus, alter & hœdos.

Idem *Eclog.* 6.

Cogere donec oves ſtabulis, numerumque referre
Juſſit.

Idem *Georg.* 4. Ubi Protheus, more paſtorum, phocas recenſet:

Ipſe (velut ſtabuli cuſtos e montibus olim;
Veſper ubi e paſtu vitulos ad tecta reducit,
Auditiſque lupos acuunt balatibus agni)
Conſedit ſcopulo medius, numerumque recenſet.

Adde ex Sacris Litteris illud *Hierem.* 33. 13. *Tranſibant oves per manum numerantis.* Vide *Paſtor*, & *Paſtio*.

PEDAMENTUM. *Varro.* Adminiculum, ſuſtentaculum. Ad vites fere referri ſolet.

PEDUM. *Virg.* Paſtorum baculus incurvus.

PERA. Sacculus, plerumque viatorius, ex pelle vel cannabe, quo, ex collo ad renes pendente, geſtari ſolet panis, obſonium &c. In uſu eſt paſſim apud ruſticos, cum viaticum migrantes ferunt. *Plin.*

PERGULA. *Colum.* Exporrectus extra ædificium locus, ſive tectus ſit, ſive ſubdialis. In vineis ſimilis eſt ordo vitium, ſed fere de tectis dicitur. Hinc apud eumdem Columellam vites pergulanæ, ad eam figuram conſitæ. Pergula fit a *pergo*, ut a *rego* fit regula, a *tego* tegula.

PERO. *Virg.* Calceamentum ruſticum ex corio crudo, adverſus imbres, nives, & loca cœno fœda, & uligine.

PERTICA. In foro ruſtico eſt longior baculus, quo fructus arborum decutiuntur. *Ovid.*

Pertica dat plenis immitia vulnera ramis.

PHALANGEUM. *Plin.* Genus aranei, frumentum, præcipue ervum, arrodens.

PHASEOLUS, & PHASELUS, aliis FASELUS. Legumen notum. Sunt qui dictum putant a ſimilitudine phaſeli navis; aliis tamen contra opinantibus. Apud Martinium Platina de

vale-

valetud. tuenda, & Pomponius Fortunatus in Columellam ſic appellatum cenſent a Phaſelo Inſula, non procul a Monte Olympo. Legumen vile vocat Virgilius, & ſerendum præcipit ad occaſum Bootes:

Si vero viciamque ſeres, vilemque phaſelum,
Haud obſcura cadens mittet tibi ſigna Bootes.

PISUM. Legumen notum. Ferunt vocatum, allatumque primum a Piſa, urbe Peloponneſi, ubi magna erat ejus copia. Niſi fulcris & adminiculis ſuſtentetur, cauliculos ſuper terra repentes ſpargit. Diſſectis proinde aridiſque ramuſculis erigitur, quibus ſcandendo accubat, capreolis diffuſis eoſdem alligans atque revinciens. Loca tepida expetit, cum ſit frigorum, ut ait Plinius, impatientiſſimum. Gelicidiis eſt maxime obnoxium propter imbecillas radices: & quoniam vagum eſt, & terræ adhærere contendit, æruginem facile contrahit, & vermibus computreſcit. Illuſtri apud Romanos Piſonum Familiæ cognomentum piſa indiderunt, quoniam iis ſerendis & excolendis excelleret.

PLANTA. Vide *Plantatio*.

PLANTARIUM. Vide *Plantatio*. Et obſerva ex Plinio ſeminarium plantarum, quod, arte excogitatum, vulgatiſſimum eſt, a natura fuiſſe demonſtratum in plantis prolificis, circa quarum radices ſilvula ſtolonum ſuppullulat, qui avulſi translatique germinant.

PLANTATIO. *Plin.* Si vocabula ad uniuſcujuſque proprietatem & cenſuram revocemus, aliud eſt ſatio, aliud plantatio. Satio enim, ut vox ipſa clamat, fit jacto ſemine, plantatio vero ex germine, ſive arboreo, ſive herbaceo, terræ mandato. Verum poſt Theophraſtum Scriptores alii ſationem & plantationem, quæ duplex eſt generatio vegetabilium, promiſcuas habent. Plantatio a planta dicitur. Rejectis originationibus minus commodis; planta dicitur a plano. Utque pedis plantam vocamus, quod corpus ſuperpoſitum ſuſtinet, ſic planta vegetabilis eſt, ex qua terræ defixa herba vel arbor exoritur, ſive

ſit ſtirps , ſive ramus avulſus , ſurculus , malleolus , truncus , tradux , viviradix , propago &c. Plantæ partes ſunt radix , ſtipes , ſive truncus , liber , medulla , cortex , ramus , ſurculus , flos , fructus , ſuccus . Adnaſci ſolent plantis reſina & gummi . Earum excrementa habentur muſcus , viſcus , fungi . Aliæ ſunt pocul advectæ & exoticæ , aliæ indigenæ . Prætereo diviſiones alias a magnitudine , figura , colore , & ſimilibus . Aliæ ſponte naſcentes naturæ debentur , aliæ artis magiſterio proveniunt . Tria recenſeo ſeminum genera . Aperta ſunt quædam & patentia , grana ſcilicet frugum , & ſeminia herbarum , quæ terræ tradimus , ut germinent , & fructus ferant . Fugiunt alia latentque noſtrum ſenſum ; verum , ut Anaxagoras dixit , ab aere , imbribus , & ventis deferuntur . Hoc pacto herbas & arbuſculas exoriri cernimus in ruderibus antiquitate corroſis , muriſque ædificiorum dirutis . Sunt demum furtiva quædam , quæ invehuntur ab amnium illuvionibus , & aquarum exundante irruptione . Ea terreo humore concreta , & ſuperveniente Solis æſtu ferveſacta , germina emittunt . Sponte naſcentia dicimus , quorum nobis occulta ſunt ſemina . De his Virgilius :

Namque aliæ , nullis hominum cogentibus , ipſæ
Sponte ſua veniunt .

Eadem idem Poeta minus fœcunda , ſed magis valida affirmat :

Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis auras
Infœcunda quidem , ſed læta & fortia ſurgunt ;
Quippe ſolo natura ſubeſt .

Furtivam item generationem dixerim , quæ fit per gummi , nempe , ut Scriptores loquuntur , per lacrimam , quæ in arboribus gutta eſt viſcoſa & glutinoſa , a plantarum cortice diffluens . Neceſſe eſt enim ſeminii quidpiam ibi permiſtum coaleſcere . Arte & cultura gignuntur plantæ per inoculationem , inſitionem , avulſionem , propagationem , modoſque alios , quos propriis titulis digeſtos

geſtos tradimus. Satio plantarum certam temporis rationem non habet. Hinc diſſenſio inter Scriptores maxima, dum ſuarum quiſque regionum uſui adaptat præcepta temporis ſtatuendi. In univerſum vernam, vel autumnalem conſitionem præſtare cæteris plerique opinantur. Licet enim proximitas & reliquiæ hiemalis rigoris ſuſpectam faciant ſationem vernam, nihilominus, cum terra tunc imbre & ſole tempeſtivo excitetur ad motum, & humore roſcido temperata turgeſcat, germinationi docilis redditur, & commiſſa ſemina læto ſinu atque benevolo, ut bona nutrix, amplectitur. Ad eamdem formam licet ſatio autumnalis non omnimodam ſecuritatem habeat propter acceſſionem proximam hiberni frigoris & gelicidii, attamen ipſi etiam veri Autumnus a nonnullis præfertur propter caloris æſtivi, quæ adhuc ſuperſunt, veſtigia, quæ ſcilicet ſunt in plantis radix & principia generationis & vitæ. Utriuſque temporis opportunitatam, in vitibus maxime conſerendis, dilaudat Virgilius.

Optima vinetis ſatio, cum vere rubenti
Candida venit avis, longis inviſa colubris;
Prima vel Autumni ſub frigora, cum rapidus Sol
Nondum hiemem contigit equis, jam præterit æſtas.

Quomodolibet plantas terræ committere vix quidquam profuerit, niſi erga illas poſtea, adinſtar optimæ parentis ſe gerat agricola. Accidunt non ita levia & pauca plantarum damna, quæ induſtria & ope humana prohiberi non poſſunt: hujuſmodi ſunt grandines, turbines, aliæque infecti morboſique aeris injuriæ, quæ integros non raro anni labores diſperdunt. Sic invectam plantis perniciem carmine, & certis formulis averti poſſe Cato exiſtimavit. Nugamenta. Nullus Hercules averruncus, nulli characteres magici, ſigilla, brevia, iconculæque nullæ geſtatæ depellere iſthæc umquam poſſunt. Vera præſidia & munimenta petenda ſunt a precibus ſupremo Numini, & Cælitibus rite nuncupatis. His itaque

que

que ſepoſitis, quorum cauſas indagare humanarum virium eſt labor irritus, ad ea, quæ poſt ſationem curanda ſunt, calamum refero. Sunt qui plantas terræ traditas cæſpite & molli luto conveſtiunt; eoque tutamento a ventorum gelidis vel fervidis flatibus, omnique aeris intemperie vindicant. Provide alii rubis circumligant, ut beſtiarum morſus & incurſus inhibeant. Scriptores ſcite præcipiunt, ut cum ſcrobes parantur, glebæ minus validæ ſuperius; quæ vigore præſtant, circa radices calcatæ ſpiſſatæque adigantur, ne illuc, ubi ſunt vitæ principia, maligni humores ex aere, aliæque peſtes pervadant. Occurrendum in primis eſt diligenter & propere plantarum morbis, quorum, non ſecus ac animalium, prolixa eſt ſeries. Præcipui recenſentur ſideratio & vermiculatio. Sideratio eſt novellarum maxime arborum morbus, cum, ſiccitate vaporum ab exortu caniculæ, humor in radicibus deficit, ipſæque exareſcunt & emoriuntur. Quæ vetulæ ſunt plantæ obſiſtunt magis propter inſitum robur atque duritiam. Vermiculatio omnibus fere plantis commune eſt vitium, cum vermes innati, vel extra advenientes, præcipue vero cantharis & curgulio, frumenta, ſegetes, omniſque generis fructus infeſtant. Huic morbo ſcillæ bulbo, ſtercore ſuillo, cinere amurca permiſto, calce decocta, aliiſque medicamentis agricolæ ſolent occurrere. Quoniam vero ejuſmodi morbis & corruptionibus deficere quotannis, plantarum partem aliquam neceſſe eſt, conſtituendum eſt plantarium, ſepoſitus nempe novellarum arbuſcularum locus & ſeminarium, ex quo anniculæ transferri poſſint, & deficientium damna numerumque ſarcire.

POMARIUM. Locus eſt arboribus pomiferis conſitus; apud Plinium vero etiam pomorum conditorium, quod ſicco frigidoque in loco contabulandum eſſe idem præcipit. Fallitur Chariſius, qui ſcribit pometa loca eſſe, ubi poma naſcuntur, ut oliveta, ubi olivæ; pomaria vero eſſe, ubi

ubi ſervantur, ut penuaria. Apertiſſime contra eſt Cicero *de Senect. Nec vero ſegetibus ſolum, & pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed etiam hortis, & pomariis*. Ut poma glandibus & ſilveſtribus baccis, ſic pomaria ſilvis opponuntur. Silvaticæ arbores feris & avibus eſcam, pomiferæ hominibus præſtant. Illæ impexæ nexæque inhorreſcunt, hæ non gulæ magis, quam oculis blandiuntur: illæ ſecuribus ceſæ, vel igni pabulum præſtant, vel ſuſtentacula ædificiis, hortis, & vineis; hæ variis inſitionum connubiis lætantur partu mirifico, pulcherrimaque colorum ſaporumque varietate ſpectabiles ſunt. Sic enim decora & laudes ſuas ars & natura dividunt, ut hæc inventis utcumque rudibus grandeſcere ſatis habeat, illa, ornatu, addito & politura, largiores inſuper proventus apportet. Columellæ præſcriptio eſt, ut pomaria ſi minus muro ductili, maceria ſaltem & foſſa circummuniantur, ut aditus in ea non pecori ſolum, ſed hominibus etiam, niſi per oſtium, prohibeatur. Idque magis obſervandum, cum primum novellæ arbores adoleſcunt. Situs pomario conſtituendo eligendus, ubi maligni ventorum flatus oblique ſolum excipiuntur. Montium cacumina ſativis plantis atque pomiferis infeſta ſunt, utpote obnoxia turbinibus, ventiſque protervo impetu ſævientibus. Valles uvidæ & lacunoſæ etiam deteriores habentur. Laudatur maxime ſitus ad montium radices, in planitie ad meridionales flatus obverſa. Et quoniam Italia ad radices Apennini & Alpium extenditur, idcirco pomarium quoddam eam eſſe Varro ſcriptum reliquit. Poſitura pomarii omnium præſtantiſſima eſt intra habitationem urbanam, vel proximum eidem vel urbi locum; ubi acceſſu facili non ſolum arborum amœnitate & deliciis ſuis Domini perfruantur, ſed culturæ etiam inſtare commodius poſſint. Prognoſtica de futura fructuum ubertate vel caritate, quæ circumferri ſolent, plerumque fallacia, ſæpe etiam futilia merito reputantur. Minime omnium mendacem divi-

divinationem experientia uſuſque demonſtrat ex floribus. Licet enim Theophraſtus affirmet, Naturam parem non eſſe ad feliciter æque obſecundandum germinationi & florum copiæ, propterea quod detrahit in altero, quod in altero copioſe largitur & ſpondet; nihilominus in pleriſque ſaltem plantis obſervare licet a florum affluentia non imparem promitti fructuum ubertatem. *Ovidius*:

Si bene floruerint ſegetes, erit area dives;
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ, nitidiſſimus annus,
Poma quoque eventum temporis hujus habent.

Deam pomis præſidem Pomonam Fabulatores prodidere. De ea Ovidius, ubi de Vertumno loquitur:

Rege ſub hoc Pomona fuit, qua nulla Latinas
Inter Hamadryadas coluit ſolertior hortos,
Nec fuit arborei ſtudioſior altera fœtus;
Unde tenet nomen: non ſilvas illa nec amnes,
Rus amat, & ramos felicia poma ferentes.

POMETUM. Vide *Pomarium*.

POMONA. Vide *Pomarium*.

PORCA. Dicitur a porrigendo: Eſt enim quod eminet in aratione, ideſt terra elatior inter duos ſulcos: alio nomine lira appellatur. *Varro*: *Qua aratrum vomere lacunam facit, ſulcus vocatur: quod eſt inter duos ſulcos elata terra, dicitur porca, quod ea ſeges frumentum porrigit*. Ex quo falſi deprehenduntur Feſtus & Nonius, quibus porca eſt ſulcus. Alii trahunt a porcendo, quod verbum Antiquis erat *prohibeo*, quoniam porcæ prohibent aquam ſeminibus jactis & frumentis nocere. Eſt etiam porca apud Columellam menſura agri, continens in latitudinem pedes triginta, in longitudinem centum & octoginta.

PORCULATOR. *Columella*: *Porculatoris, & ſubulci diverſa profeſſio, diverſæ paſtiones*. Vides dilucide & perſpicue hic diſtingui porculatorem a ſubulco. Lexicarii hoc diſcrimen non modo non explicant, ſed nec advertunt. A nu-

nutriendis porcis utrumque exponunt. Mihi vox ipſa diſcrimen indicat. Exiſtimo porculatorem dici, qui nutrit porculos, porcos minores; ſubulcum vero, qui omnis ætatis & magnitudinis porcos nutrit. Non magnifacio, non vendito hanc conjecturam; indicaſſe ſatis habeo.

PORCULETUM. A Lexicariis exponitur porca, vel area in hortis. Mihi neutrum probatur, & ex ipſo quidem, qui affertur, Plinii loco, ubi porculetum mihi eſt ager aratus, nempe elatus in porcas, vel proxime arandus. Adſcribo Plinii verba: *Umbri, & Marſi ad vicenos pedes intermittunt arationis gratia, in his quæ vocant porculeta.* Ad hanc enim formam dicimus Lauretum, pometum, olivetum &c.

PORCUS. *Plin.* Sus domeſticus & cicur; nam ferus & ſilveſter aper potius dicitur. Quoniam immundum eſt animal, cœnique volutabro aſſidue ſordidum, vetitum erat Lege Divina, ne Judæi iis veſcerentur. Levit. 11. 7. *Horum carnibus non veſcemini, quia immunda ſunt vobis.* Hinc cum in ejus gentis cenſum & opes referantur aſini, boves, oves, cameli, aliique greges & armenta, nuſquam tamen porcini pecoris mentio invenitur. Præterea cum animal ſit ſatis, & vitibus infeſtum, odioſum univerſis Ethnicorum populis & deteſtabile eſt merito reputatum. Eam ob cauſam Cereri & Baccho mactabatur in ſacrificiis. *Ovid.*

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ,
Ulta ſuas meritæ cæde nocentis opes:
Nam ſata, vere novo teneris lactentia ſuccis,
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

Quo magis demirandum eſt ſolos Ægyptios porcis uſos ad agrorum culturam: ſic enim de iis Ælianus: *Eorum inducunt greges, qui frumenti ſemen proculcant, & in humidam terram propellunt, ut vivum maneat, nec ab avibus abſumatur.* Apud Romanos porcina caro erat populi donativum ex inſtituto Aureliani, ut refert Vopiſcus.

ſcus. Inter ſigna militaria eorumdem porcus referebatur, quoniam porca cæſa pax & fœdera firmari ſolebant. Non leve porcini pecoris honeſtamentum cenſeri poteſt aſcitum ſibi Porcii cognomentum a M. Catone Cenſorio, ſummæ cùm dignitatis, tum integritatis viro.

PRÆCOX. *Colum.* Fructus præcoces ſunt propere, vel ante tempus excocti. Opponuntur ſerotinis, qui poſt tempus legitimum, vel tardius reliquis matureſcunt.

PRÆDIUM. *Cic.* Dicitur a præde, nempe ſponſore, qui fidem ſuam alligat ad ſolvendum pro alio, ſiquid incommodi vel detrimenti capiat pro re, vel pretio pacto. Poſſeſſio eſt tam ruſtica, quam urbana; licet diſtinguant aliqui, & prædium quidem de immobilibus, poſſeſſionem etiam de mobilibus dictam cenſeant. Differt etiam a fundo, qui de re ruſtica ſolum dicitur; prædium de ruſtica & urbana. Hinc prædiatores Cicero *ad Attic.* vocat, Manutio interprete, peritos Juris & Legum ad prædia pertinentium. Item Jus prædiatorium, quod ſpectat ad prædia, de quo idem Cicero *pro Balb.*

PRÆLUM. Trabs in torculari, qua uvæ, olivæ, & ſimilia premuntur. Dicitur a præluendo, quoniam liquore fluente proluitur. Alii prælum a premendo, quaſi premulum, appellatum contendunt. Sed tunc ſine diphthongo ſcribitur.

PRÆSEPE. *Virg.* Locus præſeptus. A ſepe appellatur. Sumitur pro ſtabulo non ſolum pecudum, ut exponitur, ſed pecorum omnis generis.

PRÆSIDIARII PALMITES. Vide *Cuſtos*.

PRATUM. *Virg.* Locus ubi fœnum provenit. Dicitur quaſi paratum ad fructum capiendum. Non magnum laborem deſiderat; cum tamen ex eo percipiatur largiter fructus, & plerumque non fallax. Humectari magnopere indiget, & foſſa circummuniri, ut aquæ pluviales defluant. Modico ſumptu pratum colitur, labori ruſtico profuſe reſpondet.

PRIAPUS. Vide *Olus*.

PRO-

PROPAGATIO. *Cic.* Dicitur a pangendo, quod porro, ideſt procul a radice pangitur palmes. Locum habet in vitibus, cum vitis adultæ vel vetulæ depreſſus palmes per inflexos arcus in ſcrobe ſupprimitur, & poſt certum tempus, cum germinat, amputatur; qua cultura ex una vite plures fiunt. Sunt qui vites propagant, in qualos, vel vaſa fictilia, ad imum pertuſa, deductis ramis, iiſque terra probe calcatis, quos circumpactos, cum radices egerunt, præcidunt. Hoc opere vaſa teſtacea, racemis onuſta, & flexuris viteis ornata circumferri ſolent ad pompam, & menſarum cupedias. Vites tam novellæ, quam nimis vetulæ & effœtæ propagationem non admittunt. Cum enim humore ipſæ modico gaudeant, ſi per propagationem eum dividant, neutra ad votum germinabit, utraque vitæ alimento deſtituta flacceſcet.

PTISANA. Hordeum decorticatum, quod officinæ mundum appellant. Aliqui ſic vocant pultem ipſam, quæ ex eo hordeo tunſo, & in farinam redacto conficitur. Sunt qui prius aqua illud madefaciunt, mox ad Solem exſiccant, & glumis explicitum molunt. Vim prævalidam nutrimenti habere creditur. Licet autem proprie de hordeo decorticato, vel de farina hordeacea dicatur Ptiſana; nihilominus ejus nomen ad triticum, alicam, lentem, & ſimilia extenditur. Plinius Ptiſanæ ex oryza meminit.

PULLUS. Iſidorus pullos quaſi pollutos enunciari ſcribit, quoniam novelli fœtus madefacti & polluti naſcuntur. Martinius pullos quaſi puellos exponit. Sua utrumque opinio falſum habet. Dicitur a ſimili ejuſdem ſignificationis voce Græcanica. Proprie pullus equinus eſt partus. *Virg.*

Continuo pecoris generoſi pullus in arvis
Altius ingreditur.

Hinc Itali eos fœtus appellant *Polledri*. Latiſſime tamen hoc nomen extenditur & divagatur. Ad altilia tranſtulit Juvenalis:

Nos viles pulli, nati infelicibus ovis.

Cato ad avulſa germina ſive ſtolones deflexit: *Abs terra pullos qui naſcuntur, eos in terram defodito.* Lucretius audacia poetica uſurpavit etiam de baccis arborum ſilveſtrium:

Arboribus quoniam baccæ glandeſque caducæ
Tempeſtiva dabant pullorum examina ſubter.

Ubi tamen baccæ & glandes pro iiſdem ſtolonibus accipi poſſunt. Pullorum apud Antiquos præcipuus erat uſus in auguriis & extiſpiciis. Neque ſolum a volatu & paſtu, verum etiam ex iiſdem eviſceratis auguria petebantur. Idem uſurpabant urbium & caſtrorum metatores. Neque enim prius urbes excitabant, vel caſtra defigebant, quam ab extis fibriſque pullini pecoris exenterati ſciſcitarentur Cæli temperiem, & ſoli ſalubritatem. Si enim viſcera marcida offendiſſent, regionem incommodam, ſi vero vegeta, optimique humoris & ſanguinis, opportunam utilemque interpretabantur.

PULVERATIO. Vide *Occatio*.

PUTATIO. *Cic.* Ramorum, vel cauliculorum inutilium & noxiorum reſectio, qua fit ut liberius & validius plantæ germinent & repubeſcant. Iis nempe ſucciſis lætatur arbor, quaſi levata onere, reſpiratque emundata & ſoluta laqueis, & permeante largius aere reviviſcit. Proinde ne ſupervacuis ſarmentis ſilveſcant, & in irritam frondium pompam luxurient; utque ardor vigorque immodice prægnans coerceatur, admovendæ ſunt illis falces, & exuberans germinandi impetus caſtigandus. *Virg.*

——— *curvo Saturni dente relictam*
Perſequitur vitem attondens, fingitque putando.

Vites luxurioſas, & multis palmitibus oneratas merito ſuſpectas habent ſolertes agricolæ. Nam quo ſe copioſius cooperiunt frondibus, hoc citius defloreſcunt. Præterquamquod diutius detinent nebulas, alioſque ex aeris intemperie humores noxios. Quin & ſingulis annis diſſolvi vites Scriptores præcipiunt; melius enim permutato

tato loco alligatæ ſe habent. Quotannis demum culturæ ratio poſcit, ut veteres palmites recidantur, duobus in vite vel tribus gemmis tantum relictis. Novelli vero capreoli ſinantur ut ſerpant libere, vel ſcandentes uſque ad extrema plantarum, vel late excepti & ſpatiantes pergulis.

Q

QUALUS. Vas vinarium & olearium, contextum ex vimine, per quod liquor purgatus guttatim defluit, ſordes & reliqua ſubſidunt. *Virg.*

—— tu ſpiſſo vimine qualos,
Colaque prælorum fumoſis deripe tectis.

QUERCETUM. *Varro*. Locus ubi quercus ſunt conſitæ.

QUINCUX. *Cic.* Ordo arbores locandi, certis intervallis diſpoſitas. Dicitur a litera V quæ pars eſt dimidiata a litera X, utque hæc numerum denarium, ſic illa quinarium notat. Hoc ordine diſtributæ arbores non minus pulcritudine, quam utilitate commendantur. Cum enim pulcritudo in commoda partium diſtributione conſtituatur, neceſſe eſt omnium pulcherrimam locandarum arborum ſeriem eſſe quincuncialem, utpote quæ ab omni parte in lineam rectam protenditur. *Quintilianus*: *Quid illo quincunce ſpecioſius, qui, in quamcumque partem ſpectaveris, rectus eſt?* Liſander apud Ciceronem *de Senect.* impenſe dilaudat, mirarique non deſinit tum commonſtratas ſibi a Cyro ad eam formam directas dimenſaſque plantas, tum agricolarum in iis diſtribuendis diligentiam atque ſolertiam. Quod ſi utilitatis & commodi ratio ſubducatur, procul dubio uberiori proventu fructus promittunt æquatis ſpatiis perflatæ, & excoctæ ſolari-

 bus

bus radiis. Neque enim aliæ ex aliis ſic humorem præripiunt, ſed pari dimenſu perfruuntur vitali calore, & imbribus tempeſtivis. *Virg.*

Omnia ſint paribus numeris dimenſa viarum,
Non animum modo uti paſcat proſpectus inanem,
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra.

In univerſum diſponendarum arborum ordinem, & intervalla ſervanda, indicat commonſtratque ipſa natura. Sic enim in plantis rami, ſurculi, frondes, flores, & fructus collocantur, ut alii alios invidi non ſupprimant conterantque, nec propinquis debitos humores exhauriant; ſed a fluido aere, terraque & imbribus alimenta in commune participent.

R

RACEMUS. Pro conglobata acinorum maſſa ſumi ſolet. *Ovid.*

—— ut variis ſolet uva racemis
Ducere purpureum nondum matura colorem.

Non deſunt tamen, qui racemum exponunt ramulum, ex quo uva pendet, quemadmodum & alii uvam parvam putant, cujuſmodi a vindemiatore relinqui ſolet ſub foliis latens, cum carpentis diligentiam fugit. Hinc racemari eſt racemos a vindemiatore præteritos colligere, quo more poſt trituram & meſſem publice permittitur ſpicilegium.

RADIX. *Plin.* Pars ima plantæ, ſub terra abſcondita, ex qua alimentum trahitur, & ſuccus fluit in corticem, atque hinc in ramos, & ſubinde in frondes, flores, & fructus. Horridiuſcula eſt radix, viſu deſpicabilis & invenuſta: ex illa tamen plantæ pulcritudo omnis exoritur. Latet ipſa deorſum merſa; ſed ſurſum expanſa ramis,

mis, conveſtita frondibus, ornata floribus, fructibus onuſta luxuriat. Plato inverſo homini plantam comparat: eſt enim radix ceu caput plantæ; rami brachiis & pedibus, ſurculi digitis reſpondent. Plantarum generatio per radicem fit, cum viviradix ipſa ſeritur. Vocamus autem viviradicem radicem vivam vegetamque, cum terræ etiam parte convulſam; cujuſmodi non ſunt rami & paxilli, qui cæteroqui ipſi etiam ſeruntur & germinant. Ipſa viviradix ſive cum ſtipite, ſive eo abſciſſo, utrolibet modo apte depangitur. Eadem vel integra, vel diſſecta terræ mandatur. In herbis tamen radices integræ adhiberi ſolent.

RAMUS. *Virgil.* Quod a trunco arboris naſcitur, & diſpergitur ſurſum tendens. Ut truncus a radice, ſic rami ex trunco proſiliunt. Non per radices ſolum, verum etiam ex ramis habetur generatio plantarum. Ea ſatio ab agricolis multimodis uſurpata, a caſu, teſte Plinio, indicata eſt. Cum enim palos terræ defixos advertiſſent agricolæ radices agere, iiſdem ad ſationem uti didicerunt. Conſeruntur autem vel integri, vel in duas partes ſciſſi, vel etiam in plures, nempe in taleas. Sunt autem taleæ lignorum præſegmina, de quibus Varro: *Etiam nunc ruſtica voce intertaliare dicitur dividere, vel excidere ramum ex utraque parte æquabiliter præciſum, quas alii clavulas, alii taleas appellant.* Obſerva obiter a talea habere nos non ſolum verbum Italicum *Tagliare*, ſed inſuper aliud *Tartagliare*, quod eſt balbutire, & quaſi verba præcidere. Cæterum ſive integrum, ſive quomodolibet ſciſſum ramum conſeras, perpoliri eumdem primo, abnodari, & lævigari oportebit.

RASTRUM. Inſtrumentum ruſticum dentatum, quod etiam occam & pectinem vocant. Adhibetur glebis confringendis, quod fieri ſolet poſt tertiam arationem, cum jacta ſemina ab eo inſtrumento revolutis glebis cooperiuntur. Virgilius pro ſarculo, vel ligone accepit:

Quod niſi & aſſiduis terram inſectabere raſtris &c.

RE-

RESINA. *Plin.* Humor tenax ex arboribus defluens, & in corticibus adhærens.

RESTIBILIS AGER. Qui quotannis ſeritur. Opponitur novali, qui annis alternis. *Varro*: *Ager reſtibilis*, *qui reſtituitur*, *& reſeritur quotannis*; *contra qui intermittitur*, *a novando novalis*.

RIDICA. *Colum.* Palus fiſſilis.

ROBIGUS, & ROBIGALIA. Vide *Rubigo*.

ROBORARIUM. *Gell.* Septum, quo incluſa animalia detinentur; dictum a robore, ideſt quercu; quoniam tabulis roboreis cingebatur, ante uſum muri cæmentitii.

RORATIO. *Plin.* Vitium, & morbus in vitibus, cum intempeſtiva pluvia, vel rore poſt florem editum incidente, acini decidunt, vel exſiccantur.

ROSETUM. *Virg.* Locus roſis conſitus.

RUBETUM. Locus rubis conſitus vel impeditus. *Ovid.*

——— *in duris hærentia mora rubetis*.

RUBIGO. Vitium & morbus in ſegete, omnique frumenti genere, quo humor exceptus in ſpica, æſtivi caloris ſuperventu, putreſcit, ſpicæque maligno afflatu marceſcunt. Peſtis eſt in fruges, præcipue frumentaceas, omnium pernicioſiſſima. *Virg.*

Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos
Eſſet rubigo.

Sentiunt magnopere rubiginem valles depreſſæ, ubi nullis ventorum flatibus aer agitatur: excelſa loca, tractuſque perflatiles vix hujus morbi morſibus ſunt obnoxii. Plinius adverſus rubiginem lauri ramos in arvis defigi monet: ſic enim in ea folia peſtis omnis tranſgreditur. Ad eamdem averruncandam Romani Robigum Deum excolebant. *Gellius*: *In illis autem Diis*, *quos placari oportet*, *ut mala a nobis*, *vel a frugibus natis amoveantur*, *Averruncus quoque habetur*, *& Robigus*. In hujus porro honorem inſtituta feſta Robigalia a Numa Pompilio, quæ mactati canis oviſque extis celebrabantur. *Columella*:

Hinc

Hinc mala rubigo, virides ne torreat herbas,
Sanguine lactentis catuli placatus & extis.

Varro initio ſui operis Robigum, & Floram invocat; hanc ut faveat, illum ne noceat.

RUNCATIO. Ruſticum miniſterium, quo avulſis herbis noxiis & inutilibus ſegetes expurgantur. *Plinius: Cum ſeges in articulo eſt, avulſis inutilibus herbis, frugum radicem vindicat.*

RUNCINA. Dea apud Romanos, quæ runcationi præerat. *S. Auguſt. de Civit. Dei: Florentibus frumentis Deam Floram, lacteſcentibus Deam Lacturtiam, matureſcentibus Maturam, cum runcantur, Deam Runcinam &c.*

RUS. Vide *Ruſticus*.

RUSTICUS. Qui ruri degit, & ruris culturam curat. Rus autem locum ad campeſtres delicias ſimul & ad proventus poſitum appellamus. Propterea ruris nomine comprehenditur Patrisfamilias domus ruſticourbana, item ruſtica cum apothecis & ſtabulis; ad hæc arbuſtum, vinea, olivetum, ſilvula, & ſiqua ſunt alia, quæ ſibi vindicat villa, a qua rus minimum differre credimus. Exercitationem ruſticam omnium eſſe nobiliſſimam, utpote a Divino Numine procreatam, primum eſt ſtatuendum. Eccleſiaſtic. 7. 15. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſſimo.* De eadem luculentiſſimum prodidit teſtimonium Cicero *pro Roſc. Amer. Vita hæc ruſtica parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt.* Honeſtiſſima vero ut eadem cenſeatur nationum omnium jura conſentiunt. Plebeji certe ordinis, qui ruſticanus erat, ſpectabile in primis erat nomen apud Romanos, cum, vigente diſciplina maſculæ illius prolis a Romulo conditæ, primariæ dignitatis viri in agris morabantur, inde per Viatores evocati ad publica conſilia, & ad Reipublicæ munia obeunda. Quamobrem ſapienter Varro conqueritur, in deterius lapſis moribus, aratro & falcibus relictis, intra muros ſe recepiſſe a priſcis vitæ inſtitutis proſapiam degenerem. Subit animus exclamare

mare cum Vate paſtoritii Italici carminis facile principe;

Ov'è il valore, ov'è l'antica gloria;
V'ſon' or quelle genti, oimè ſon cenere,
De le quai grida ogni famoſa iſtoria?

Ea certa eſt ruſticorum dignitas & præſtantia, ut a Scriptoribus boni viri, fraudum expertes, candoris ingenui, juſtitiæ & officiorum cultores eximii prædicentur. Quid quod agri colendi ſcientia (ſic enim facultatem illam Cicero appellat) primi ſubſellii Deos Deaſque inventores habuit. Piget enim Reges, & Imperatorio principatu Duces præſtantiſſimos recenſere, qui a terra excolenda, ab arborum ſatione, ab aratro, & ſarculis manus non abſtinuerunt. Vide *Agricola*, & *Colonus*.

RUTRUM. Inſtrumentum, quo terra eruitur. Dicitur a diruendo: & prius fuit rutum, poſtea rutrum, ut prius aratum, poſtea aratrum. *Cato: Oportet habere villam palos ſex, rutra quatuor, raſtros quadridentes duos.* Ager primum aratro vertitur, deinde ſeritur, occatur, ſarritur, runcatur.

S

SALICTUM. *Virg.* Locus ſalicibus conſitus. Secundum aquas feliciter proveniunt ſalices, quarum uſus frequentiſſimus in herbis præſertim ſurculiſque alligandis, & rerum variarum firmandis faſcibus.

SAPA. Muſtum decoctum, redactum ad tertiam partem. *Palladius: Inter ſapam, deſrutum, & caræнum hoc intereſt, quod deſrutum dicitur muſtum a deſervendo, ubi ad ſpiſſitudinem fortiter deſpumaverit; caræнum, cum, tertia perdita, duæ partes remanſerint; ſapa, ubi ad tertias redacta deſcenderit.*

SAR-

Sarritio. Opus ruſticum, quod fit, cum ſarculo evelluntur herbæ inutiles, quæ in ſegetes ſolent ſuccreſcere. Sarritione terra aperitur, ſolvitur, & quaſi mundata ſcopis, ſuperfluis rejectis laxatur, ut ab anguſtiis exilire, lætarique videatur. *Varro: Parata ſementi, ſequens cura eſt ſarritionis*. Negant aliqui ſarritionem quidquam proficere, quoniam ſic radices ſarculo deteguntur, & ſæpenumero etiam ſucciduntur. Proficuam contra alii, nec tam ſegetibus, quam vineis utilem ſarritionem putant. Habenda eſt tamen ratio temporis, pro regionum diverſarum uſu. Advertenda inſuper agri ſerendi conditio; neque enim parem ſarrituram ſicci & humidiores agri depoſcunt. Plinius ſarritionis præcepta ſic colligit: *Sarculatio induratam hiberno rigore ſoli triſtitiam laxat temporibus vernis, novoſque ſoles admittit. Qui ſarriet, caveat ne frumenti radices ſuffodiat. Triticum bis ſarrire melius. Sarritur diebus viginti. Ab æquinoctio nocere ſegeti ſarritura exiſtimatur*. Poſt ſarritionem terra runcatur; quæ exercitatio perſimilis eſt ſarritioni; utraque enim ab herbis inutilibus ſolum expurgat. Diſcriminantur tempore & inſtrumento; nam altera ſarculo, altera falcicula vineatica, vel adunco ſimili ferramento peragitur.

Satio. Vide *Plantatio*.

Satum, & frequentius

Sata, orum. *Virg.* Terra conſita quocumque frugum ſemine. Vide *Seges*.

Sativæ herbæ, vel arbores. *Plin.* Quæ ſatione creſcunt. Opponuntur ſilveſtribus. Sativa tempora dicuntur, quæ ſationi ſunt apta.

Sator. Deus ſationi præſes apud Romanos.

Saturnus. Cœli filius, Jovis genitor. Falcis inventor, agros excolendi artem primus in Italia monſtravit, ut ſcribit Dionyſius. Educationem arborum, plantationem, inſitionem, ſtercorationem, culturamque omnem frugiferam docuit. Nihil præterea mirum, ſi apud Italos

divinos honores invenerit; ipſique Italiæ nomen Saturniæ fecerit. Latium vero ab eodem in ea Provincia recepto, ibique, cum Jovis arma fugeret, latitante, eſt nominatum. *Virg. l.* 8.

Primus ab æthereo veniens Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus indocile, & diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.

SATYRA. Utrum a Comœdia veteri Satyram habeamus, an veteris potius Comœdiæ Satyra parens fuerit, nondum in vado eſt, etiam apud primi ſubſellii Criticos. Utrolibet modo res accipiatur; cum a ſilvicolis illa dicatur Satyris, qui Nymphas ſibi parum morigeras conviciis inceſſebant, ſilveſtrem & ruſticanam originem ſatis prodit. Liberum & mordax eſt dicendi genus, & Comœdiæ priſcæ pluſculum redolens. Utraque nimirum jocis & cavillis utitur; licet altera, ut populum ad ſpem bonam erigat, altera ut vitia corrigat. Emendatrix itaque vitiorum, morata ipſa, & ſobrie probeque conſtituta Satyra eſſe debet. Quod ſi ad parum pudica deſciſcat, nego ullum eſſe deterius, & æque perniciosum ſcribendi genus, quod nos in Satyris noſtris monere non prætermiſimus *Satyr.* 12.

Cum prima rigidum ſimulaſti pelle Catonem,
Et Satyram ingreſſus præclaro carmine dixti
Credo pudicitiam: *quid tum? tutiſſima mores*
Obliquat Satyra ingenuos; tuta unica mentes
Decipit incautas pulcra ſub imagine recti;
Dumque vetat peccare, docet.

Satyram in Græcia ortam, atque adeo perfectam Scaliger cenſet: alii contra in Latio, Romæ, & in mediis Carinis prognatam exiſtimant, ſenariis Jambicis primum, mox, authore Lucilio, dactylicis verſibus exaratam. Latinorum Satyræ Scriptorum character ſtyluſque varius. Horatius, a ſermone vix aliter quam metro differens,

ferens, gravia jocoſis appoſite miſcuit. Juvenalis concitatior, & forenſis pene declamator. Perſius aſper & caliginoſus; cæterum gemmis dives, quaſi in fodina reconditis, ideoque aſperitate, ut dixi, quadam & caligine obductis. Scaliger Lucianum ſugillat, quoniam in ſuis Dialogis dictionem ſatyricam ad mimicam levitatem detorſerit. Magni Critici judicium laudare & amplecti non poſſum. Imò, ut quod ſentio, ingenue fatear, nemo unus Satyræ typum formamque Luciano expreſſius eſt aſſequutus. Eloquio numeris quidem ſoluto, ſed feſtivo & plauſibili, imperitiam ipſe ſimulans, Deos Ethnicæ ſuperſtitionis deridet, & Philoſophorum inſcitiam denudat; ſe vero in omni doctrina apprime verſatum oſtendit. Gravibus ſententiis miſcet occultos ſales, & miram adhibet ſimplicitatis obtentu dicacitatem; ut mihi ipſius Dialogi graves ſimul & jocoſi, libertate quadam comica, & cavillatione ſatyrica temperati videantur. Neque enim cynica mordacitate, & declamatoriis conviciis debacchatur, ſed, quod impendio difficile tractatu eſt, ironia utitur & ridiculo; quod genus Horatius etiam interdum ſcite pertractat, Juvenalis non attigit, Perſius ne cognoviſſe quidem eſt viſus.

SATYRI. Vide *Silvanus*.

SCAMNUM. *Varro*. A ſcandendo dicitur. Plura indicat in re agreſti. Menſura eſt in agris dividundis; notatque ſpatium largius, quam longius; cum ſtriga notet potius longius, quam latius. Sic autem agri vel eorum limites diſponebantur ſcamno, ut ab Occidente in Orientem reſpicerent per latitudinem; ſtriga vero a Septemtrione ad Meridiem per longitudinem. De hac menſura agunt Gromatici Scriptores, & Agrimenſores: Vide *Frontin. de Limit. Salmaſium in Solin.* Scamnum præterea dicitur porca, nempe terra, quæ inter duos ſulcos aſſurgit. Item pro terra cruda immotaque uſurpatur: *Colum. Necubi crudum ſolum & immotum relinquat, quod agricolæ ſcamnum vocant*. Poſtremo rei ruſticæ Scripto-

T 2 res

res ſcamnum appellant in vitibus & truncis arborum ſpatia identidem ſuccreſcentia, certiſque intervallis vel internodiis diſtincta, per quæ humor commeat, & palmites extenduntur.

Scapus. Proprie eſt caulis herbaceus. *Plin. Inventus eſt jam & ſcapus unus, centum ſabis onuſtus.* Quoniam vero ejuſmodi caulis rotundus eſt, & fructus ſuſtentat, idcirco translate de columnæ parte media dicitur, quæ rotunda plerumqne eſt, & capitulum ſuſtinet.

Scirpicula. Proprie dicitur de caniſtro juncis contexto. Varro adhibet hanc vocem, tamquam genus falciculæ putatoriæ. Non video affinitatem, quæ intercedere poſſit inter caniſtrum & falcem. Adde ſcirpum juncum eſſe rectum, falcem autem aduncam eſſe nemo ignorat.

Scopus. *Varro.* Uvæ pediculus.

Scrofa. *Varro.* Porca, quæ alitur ad prolem propagandam.

Scrobs. Vide *Sulcus.*

Secale, is. Genus frumenti. Cum primum prodit, rubeſcit, viret poſtea. Ex eo qui fit panis, gravis eſt, & concoctu difficilis. De eodem Plinius: *Deterrimum, & tantum ad arcendam famem utile, fœcunda ſed gravi ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum.. Admiſcetur ei far, ut mitiget amaritudinem ejus, & tamen ſic quoque ingratiſſimum ventri eſt.* Columella ſcribit ex eo fieri panem ſecundarium.

Securis. Vide *Bipennis.*

Seges. Aliqui Scriptores a ſerendo, alii a ſcando hanc vocem deducunt. Multimodis exponitur. Sunt qui terram ipſam ſegetem dicant. Huc trahi poteſt illud Virgilii.

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſidere terram
Vertere, Mæcenas &c.

Sed apertiſſime Poeta antiquus apud *Cicer. in Tuſcul.*

Etſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ſuapte natura enitent.

Aliis

Aliis ſeges eſt terra arata & ſata, ut differat a novali, quæ ceſſat. Quod diſcrimen oſtendit idem Virgilius:

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes?

Sunt poſtremo qui ſegetes dicunt fruges, ex quibus conficitur panis. Addo etiam lini ſegetem efferri ab eodem Poeta:

Urit enim lini campum ſeges.

A ſpiſſitudine frugum in campis, nempe ſegetum nondum demeſſarum, ſegetem vocat Poeta commemoratus telorum copiam, vel enſium nudatorum:

——— *hic confixum ferrea texit*
Telorum ſeges:

Et alibi:

Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus.

Duas excolendæ ſegeti Deas Romani præpoſuerunt, Sejam, a ſerendo dictam, quæ frumentis præerat adhuc ſub terra latentibus; & Segeſtam, a ſegete appellatam, quam frumentis exortis favere exiſtimabant. Utriuſque ſimulacra in Circo conſpici ſcribit Plinius. Prognoſticum fertilitatis in ſegete minime omnium fallax Ovidianum illud eſt:

Si bene floruerint ſegetes, erit area dives.

SEGESTA. Vide *Seges*.

SEJA. Vide *Seges*.

SELENUSCUM. Genus tritici optimæ notæ apud Plinium.

SEMEN. *Virg.* Vitale illud puſillumque eſt, quod ex plantis defloreſcentibus collectum, & terræ mandatum, in novam plantam adoleſcit. A tantilli ſeminis in terram jactu generationis perpetua ſeries originem ducit; quo nihil in natura clarius Sapientiæ Divinæ rerum procreatricis excellentia eluceſcit. Perexiguæ molis granum glebis involutum computreſcere primum cernitur; mox, humore roſcido nutritum, ſenſim virens excreſcit. Stipula tamquam clypeo tegitur adverſus aeris injurias; ariſtis tamquam ſpiculis armatur contra alitum morſus. Mox quaſi

quaſi in pedes flaveſcens erigitur; auctumque numeroſæ prolis comitatu, demiſſo capite invitat meſſorum manus; tritumque in area prolixo cum fœnore horrea complet ditatque. Cum enim ſemina ad perpetuandam propagatione ſpeciem deſerviant, ita natura comparatum eſt, ut pars nulla plantarum diligentius cuſtodiatur. In intima frugum viſcera abſtruſa conduntur, membranis, ſiliquis, folliculis, putaminibus, oſſibus, corticibus, cruſtiſque variis, pro cujuſque indigentia valide communita; ut, quod neceſſarium magis eſt, firmiore tutamine tegeretur. Semen, ſi fieri poterit, eligatur ſemper anniculum; bimum aut trimum infirmius eſt: quod ultra tendit, ſterileſcit, aut naturam permutat, ut braſſicæ ſemen, quod vetuſtate vitiatum in rapam, ut docet Theophraſtus, vel in raphanum vertitur. *Virg.*

Vidi ego lecta diu, & multo ſpectata labore,
Degenerare tamen.

Quamobrem optime præcipit Columella, ab ipſa area futuro ſemini eſſe conſulendum; legendamque optimam quamque ſpicam, & ex eadem ſemen ſeparatim reponendum. Qui frugum ſeminibus ſepoſitis officiunt morbi, plurimi recenſentur. Præcipui occurrunt ex corroſione beſtiolarum, cujuſmodi ſunt cantharides, curguliones, phalangia, erucæ &c. Vindicanda in primis idoneis repagulis ab improbitate eſuque alitum, ne in ipſis granariis abſumantur. *Serere ne dubita*, vulgatum eſſe effatum refert Columella, quod indicaſſe crediderim Virgilium, ubi ſcripſit:

Et dubitant homines ſerere, atque impendere curam?

Cum enim ampli ſint proventus a jacto ſemine, non leviter improbandi videntur ii, quos tædet ſerendi excolendique laborem capeſſere. A ſemine ſeminium dicitur, quod eſt ipſum ſemen, ſeu quidquid ſuapte natura ad progignendum eſt aptum. Fit etiam a ſemine ſeminarium, ubi plantæ novellæ, alio transferendæ, ſimul panguntur.

Sa-

SEMINARIUM. Vide *Semen*.

SEMINIUM. Vide *Semen*.

SEPES. *Virg.* Munimentum, quo agri, vineæ, horti, pomaria &c. congeſtis rubis, virgultis, ramiſque proteguntur. Prodeſt non ſolum arcendis furibus, acceſſuque inhibendo, verum etiam finibus dividundis. Alia viva eſt, alia ſtructilis. Præferenda eſt viva, utpote firmior & diuturnior.

SEPTUNX. Menſura continens agri ſemjugerum, & jugeri partem duodecimam. Hinc ſatio ſeptuncialis apud Columellam: *Media ſementis pars ſeri, & pars ultima debet, quæ ſeptuncialis ſatio dicitur*.

SEROTINUS. Vide *Præcox*.

SERVILIA LEX. Agraria. Lata a Servilio Rullo Tribuno plebis, de vendendis agris Italiæ & Provinciarum, quas Pompejus M. ſubegerat. Sed rejecta illa fuit, Cicerone in adverſum acriter perorante.

SEXCUNCIA. *Colum.*, &

SEXCUNX. *Plin.* Menſura agri unciam cum dimidio continens.

SEXQUIJUGERUM. Jugerum cum dimidio. *Plin.*

SEXQUIMODIUS. *Varro*. Modius cum dimidio.

SEXTARIUS. Sexta pars congii. *Colum. Sextariis fere quatuor jugerum implent*.

SICILIMENTUM. *Cato*. Herba in prato relicta ſectione prima, ſed iterata ſectione demeſſa. Vocabulum eſt pratorum & fœniſecarum peculiare. Dicitur a ſecando.

SIDERATIO. Vide *Plantatio*.

SILENUS. Vide *Silvanus*.

SILIGO. Frumenti genus, ex quo panis conficitur omnium laudatiſſimus. *Juvenal.*

Sed tener & niveus, mollique ſiligine factus,
Servatur Domino.

Plinius delicias tritici ſiliginem vocat. Alii farinam exponunt ex tritico generoſo, exactiſſime a furfure repurgatam, candoris eximii, eſuque ſuaviſſimam; ideoque ap-

apponi ſolitam in panificio ad uſum menſæ patriciæ. Dicitur a ſeligendo, quod lectiſſimum ſit frumenti genus. Humidis & uliginoſis in locis a Columella ſerenda præcipitur. Matthiolus invehitur in vecordiam ſæculi, quod ſiliginis non modo culturam negligit, ſed vel uſum ignorat. Verum palam eſt plurimis in Italiæ locis eam excoli diligenter, & ſiliginei panis uſum frequentem eſſe.

SILIQUA. *Virg.* Folliculus, & involucrum, quo legumina & frumenta teguntur & muniuntur. Eſt porro eadem leguminis genus, & quidem faſeoli.

SILVA. Locus arboribus cæduis conſitus. Figurate dicitur de herbis. *Virg.*

——— intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſilva,
Lappæque tribulique.

Uſurpatur etiam, cum deſcribuntur loca virgultis & ſentibus implicata. Sed parum diligenter a Lexicariis etiam nuperis ad eam acceptionem confirmandam adducitur locus Virgilii,

Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſilva,

Ubi ſentes locum non habent; ſed indicantur a Poeta ſtolones, qui ſubnaſci ſolent circa radices arborum prolificarum. Salmaſius *in Solin.* de montanis, & quidem minuſculis plantis ſilvam dici opinatur. Sed hæc nomina non poetæ ſolum, ſed ſcriptores omnes confundunt. Diſcrimen aliud inter ſilvam, nemus, lucum, & ſaltum attuli in *Tit. Nemus.* Silvæ antiquitus non cibos ſolum hominibus, ſed etiam habitacula præbuerunt. Sub umbra arborum tuti imbres & æſtus vitabant. *Ovid.*

Pro domibus frondes norant.

Hinc e ſilvis nati credebantur. *Virg.*

Genſque virum truncis & duro robore nata.

Adde Vitruvium lib. 2. c. 1. *Homines veteri more, ut feræ in ſilvis & ſpeluncis, & nemoribus naſcebantur, ciboque agreſti veſcendo vitam exigebant.* Longe felicius tunc homines degiſſe creditum, quam cum, prægmagnis urbibus conditis, curiæ ſuffragiis, fora jurgiis perſonarent.

rent. Nimirum pro ambitioſæ magnificentiæ ſtrepitu & phaleris ingenua ſimplicitas, vitæ ſecuritas, tranquillitas animi valeſcebant. *Guarin.*

Care ſelve beate,
E voi ſolinghi, e taciturni orrori,
Di ripoſo, e di pace alberghi veri.

Jam vero, ut ad ruſticum forum accedam, nemini video dubium eſſe, ſilveſtres arbores ſativis priores fuiſſe. Neque enim aliter ſativas habemus, quam ex ſilveſtribus domitas, cultuque ac labore molliores, teneraſque in hortis & pomariis redditas. Plantæ ſilveſtres in cæduas & glandiferas dividuntur. Silva cædua nominatur, in qua arbores, cum ad juſtam magnitudinem pervenerint ad uſum ædificiorum, vel ad ſuſtentacula varii generis, in hortis & vineis reciduntur. Reſinaceæ plerumque illæ ſunt, atque coniferæ: aſpectu incultæ & horridiores, ſpeciem quidem, qua oculis blandiantur, non habent; ſed, ut Quintilianus loquitur, religionem quamdam præſeferunt, & incutiunt. Glandariæ dicitur a ferenda glande, qua decuſſa feruntur victitaſſe primi mortalium. Gaudent ſilveſtres arbores montano ſolo, ubi, defixis altè radicibus, ventorum flatibus obluctantur. Neque enim validæ torteſque ſunt plantæ, teſte Seneca, niſi quas venti flantes, dum incurſant, adſtringunt, atque corroborant. Apricæ valles humoris copia ſativas alunt, ſilveſtres enervant atque debilitant. Neque enim fruſtra natura nodoſum iis truncum, ſuccumque piceum & reſinaceum, radices vero firmas, perque ipſas rupium ſiliceарum venas ſerpentes attribuit. Verum ſic eas obarmavit, ut immotæ indejectæque ſuſtinerent impulſus depræliantium turbinum & procellarum. Longæva eſt ſilveſtrium plantarum vita, ultraque ambitus ſæculorum perennat. Eam diuturnitatem indicant radices late procurrentes, earumque ſuccus tenax & glutinoſus; item ligni firmitas & duritia, qua longe præſtant campeſtribus & ſativis. Quandoquidem harum arborum fructus & utilitas in earum

rum cæſura vertitur, curandum ſolicite eſt, ut tempeſtive amputentur. Verna temperies prægnantium plantarum humorem in frondes, florumque & fructuum alimentum effundit: hinc earum medullam remitti & hebeſcere neceſſe eſt; quocirca iiſdem cædendis minus opportunum id tempus merito reputatur. Cum vero per hyemem detractus ſuccus in medullam redeat, & frigore conſtipatus conſolidetur, vigorem ſuum, vireſque omnes plantæ obtinent & expromunt. Quapropter hibernum tempus cædendis ſylvis aptiſſimum plerique reputant. *Ligna ferre in ſylvam* popularis eſt locutio, ab Horatio uſurpata. Congruit iis, qui afferunt, quibus alii abundant. Italico adagio redditur:

Portare a Samo vaſi,
Nottole a Atene, e Coccodrilli a Egitto.

SILVANUS. Deus Silvarum. Incertæ eſt originis. Nec aliud memoratu dignum, quod ad ruſticam tractationem pertineat, de eo eſt memoriæ traditum. Hanc geſtarum ab ipſo rerum inopiam, recenſione ſilveſtrium aliorum Numinum, ut conglobatim hic ſupleam, ſtudium brevitatis hortatur. *Satyri*. Silveſtres Dii: quatuor pedibus, teſte Plinio, nituntur, cornuta fronte, extrema corporis parte in caprarum ſimilitudinem deſinente. De iis mira addunt Pauſanias, & commemoratus Plinius. *Sileni*: Pauſanias *in Atticis* hos ex genere Satyrorum eſſe exiſtimat; verum digniores aliis, & natu maximos. Præcipuus quidam ex iis ſingularem celebritatem obtinuit. Bacchi nutritor & pædagogus, comeſſator viniqne potator ſtrenuus. Ingenio, doctrinæque comparatione clarus vaticinandi facultatem excoluit, fiſtulamque, paſtorale muſicum inſtrumentum, primus, ut aliqui teſtantur, invenit. Cæterum corporis deridiculo magnopere deſpiciendus. Senex, ut a Luciano deſcribitur, ſimus calvuſque, ſtaturæ brevis, ventricoſus. Auribus demum arrectis & grandioribus, vinoque hauſto tremulus & lapſabundus, aſello vehebatur, Satyriſcis aſſociatus, ab iiſque

que contemptim habitus. Ad hujus imitationem expreſſi celebrantur, qui parœmiæ locum fecerunt *Sileni Alcibiadis*; ſimulacra nimirum quædam & ſigilla, deformia quidem deforis, & viſu rudia, ſed quæ intus mira & præclarà condebant. Exprimebantur iis viri, doctrina quidem præſtantes, ſed forma cultuque corporis turpiuſculi; cujuſmodi fertur fuiſſe Socrates, Alcibiadis præceptor, ſingulari cæteroqui doctrina ſapientiaque philoſophus. Taſſus filius Geruſ. 18.

Già nell'aprir d'un ruſtico Sileno
Meraviglie vedea l'antica etade.

Dryades, *Hamadryades*. Silvarum præſides; ab arboribus ex Græco nuncupantur; ſed Dryades ſilvis, Hamadryades ſingulis arboribus præerant. *Napeæ*. Deæ vallium, ſaltuum, & nemorum, a quibus appellationem ſortiuntur. *Oreades* & *Oreſtiades*. A montibus dictæ, vel quod inibi natæ eſſent, vel quod in iis perpetuo verſarentur. Dianæ erant comites; ipſæque etiam venatrices feras inſectabantur. *Fauni*. Colebantur inter agreſtes Deos. *Virg. Georg.*

Et vos agreſtum præſentia Numina Fauni.

Cornua illis attributa; hinc bicornes dicti: pedes etiam ad equorum ſimilitudinem; hinc appellati cornipedes. Faunos, Satyros, Silenos, Silvanos ex Antiquis alii animalia, alii dæmones exiſtimabant.

Solipunga, aliis Solipuga. Beſtiola, quæ leguminibus innaſcitur. Plinius non ſolum noxiam, ſed etiam venenatam pronunciat. Genus muſcæ, formicæ, vel aranei; nam varie exponitur. A Sole dicitur, cujus calore incitatur.

Sparus. Telum ruſticum, nec in re militari adhibitum, niſi cum ſuprema neceſſitas alia arma non ſuggerit. In aggreſſione tumultuaria uſurpatur a Virgilio:

Agreſtiſque manus armat ſparus.

Spica. *Cicero*. Quod exſurgit a culmo frumenti, grana continens, glumæ folliculo munita adverſus aerem, ariſtis adverſus morſus avium. *Ex culmo ſpicam conjicere*.

Parœmiæ loco dicitur. Uſurpatur, cum a præclara & nobili indole, mores optimos & egregie facta conjicimus: contra vero deteriores ex improba.

SPICILEGIUM. *Varro*. Collectio ſpicarum, quas meſſores prætereunt. Vide *Legulus*, & *Sicilimentum*.

STABULUM. A ſtando dicitur. Proprie eſt manſio, quò ſe recipiunt feſſi ab itinere. Frequentiſſime ſumitur pro loco, ubi animalia ſimul conſiſtunt, ad veſcendum & quieſcendum. Non tectam ſolum manſionem, ſed etiam ſubdialem ſignificat. *Virg.*

Itur in antiquam ſilvam, ſtabula alta ferarum.

STERCORATIO. Vide *Fimus*.

STERCULIUS, aliis STERCUTIUS. Hoc nomine inſignitus fuit Picumnus Fauni filius, qui ſtercorandi agros artem Romanis primus oſtendit, ea cauſa apud eoſdem divinos honores conſecutus. *Plin. Italia Regi ſuo Stercutio ob hoc inventum immortalitatem tribuit.*

STERQUILINIUM. Fimetum; ſtercoris repoſitorium, ad pinguiores reddendos agros; de quo ſic præcipit Columella: *Sterquilinia duo ſint; unum quod nova purgamenta recipiat; alterum ex quo vetera vehantur.*

STIMULA. Vide *Murcia*.

STIPES. *Cæſar*. Truncus. Pro rudi & ſtulto figurate ſumitur.

STIPULA. *Virg.* Palea. Servio ſtipulæ ſunt folia, quæ ambiunt culmum: aliis ſunt ipſe calamus, ſive cum foliis, ſive iis carens.

STIRPS. *Cic.* Proprie radix. Sumitur ſæpenumero pro ipſa planta.

STOLONES. Vide *Avulſio*.

STRAGES. A ſternendo. Proprie uſurpatur de plantis, vento, vel aliter ſtratis. *Virg.*

——— *dabit illa ruinas*
Arboribus, ſtragemque ſatis.

Translate dicitur de multitudine cæſorum cadaverum.

STRAMEN. *Virg.* &

STRAMENTUM. *Varro*. Proprie eſt quidquid ſolo ſternitur, præſertim ad quieſcendum. Accipi ſolet pro ſtrato herbaceo, ex calamis aridis, ſtipula, palea, &c.

STRIGA. *Colum.* Sulcus in arando, qui uno ductu porrigitur in longitudinem; ut ſcamnum in latitudinem. Item menſura agri. Vide *Scamnum*.

SUBULCUS. *Colum.* Qui porcos cuſtodit & nutrit. Herodotus *l.* 2. ſcribit hujus generis paſtores uſque adeo apud Ægyptios inviſos haberi, ut nec reciperentur in templa; nec ad matrimonia, aut affinitates ullas admitterentur.

SUCULA. *Plaut.* Parva porca, quaſi ſuicula, ut bucula, quaſi bovicula; item ſuculus minor ſus. Aliud ſucula machina in mechanicis, quam expoſui in *Lexic. Milit.*, & *Vocabul. Architect.*

SUILE. *Colum.* *Diligens porculator frequenter ſuile converrat, & ſæpius haras.* Lexicarii ſic haram a ſuile diſtinguunt, ut ſuile ſit porcorum omnis generis ſtabulum; hara locus ubi ſcrophæ ſeparatim cum ſuis ſuculis ſtabulantur. Mihi ſuile eſt ſtabulum porcorum ſolummodo, hara pecoris omnis generis.

SULCUS. *Virg.* Veſtigium ex ductu aratri; foſſa in longum porrecta, tracto vomere. Differt a ſcrobe, quæ profundior eſt foſſa, non producta in longitudinem, ſed in figuram rotundam, quadratam, vel ſimilem.

SURCULUS. *Cic.* Rami germen frondoſum, quod detractum diſſecatur, ut inſitione, vel modis aliis novam plantam producat.

SUS. *Virg.* Porca, vel porcus, tam ferus & ſilveſtris, quam domeſticus. Apud Ægyptios ſi contingeret quempiam ſuem tangere, continuo feſtinabat ad Nili aquas, quibus ſe tanquam contaminatum ablueret. *Sus ſui pulcher.* Adagium vetus, iis congruens, inter quos deteriorum morum ſimilitudo benevolentiam conciliat. *Nihil ſui cum amaracino*: aliud adagium ſuperiori oppoſitum: adhibetur in moribus impenſe diſſimiles. Quid enim unguenti genus laudatiſſimum ad ſuem faciat, quo nihil immundius?

SY-

SYRINGIA. *Plin.* Genus calami, quo excavato fiſtula conficitur. A Syringe Arcadiæ Nympha in paluſtrem calamum commutata. Vide *Fiſtula*.

T

TABANUS. *Varro*. Inſectum in genere muſcæ. Cuſpidato ad modum ſagittæ aculeo armatum armenta, boves præcipue, miſerandum in modum per æſtivos calores infeſtat. Quamobrem a Virgilio admonentur agricolæ,

Hoc quoque (nam mediis fervoribus acrior inſtat)
Arcebis gravido pecori.

Sic enim armentorum tergora morſu acerbiſſimo vellicat, ut eadem ad vivam cutem transfodiat; eorumque pelles extracto ſanguine fœde commaculet; ipſos vero boves concitatos & rabidos in furorem agat. Obſervat id Ariſtoteles *Hiſt. l.* 4. 4. Alio frequentius nomine a Latinis aſilus appellatur; qui Græcanico etiam nomine œſtrum appellant. *Virg.*

——— cui nomen aſilo
Romanum eſt; œſtron Graji vertere vocantes.

Hallucinati autem ſunt Nizolius, Calepinus, ejuſque acceſſionarii amplificatores, qui œſtrum neutro dixerunt genere, cum liqueat apud Græcos, & Latinos genere virili deſcribi in nominandi caſu. Ad eumdem modum decepti ſunt Elias Andreas, & Henricus Stephanus, ubi Anacreontis verſus de Amore *Od.* 3. vertunt;

Ferit & mihi ſagitta
Medium jecur, quaſi œſtrum:

ubi *œſtrus* erat ſcribendum. Tabano, ſive œſtro immiſſo, Juno in furibundam inſaniam adegit Jovis pellicem. Idem nomen tranſiit ad indicandum furorem poeticum,

qui

qui cæteroqui appellatione conſpicua enthuſiaſmus, ideſt afflatus divinus etiam dicitur. *Statius*.

Tempus erit, cum laurigero tua fortior œſtro
Facta canam.

TALEA. Surculus pedali, vel cubitali magnitudine ab arbore præciſus, ut ſolo depangatur. De iis præcipit Plinius ne ſcabræ ſint, curvæ, aut biſurcæ; utque a feracibus plantis tollantur. Hoc genus plantationis, eodem Plinio authore, caſus monſtravit. Cum enim obſervatum eſſet defixos palos quandoque germen emittere, caſus in culturæ poſtea magiſterium abiit. Adde ſapidiores fructus ſic provenire, & longe citius, quam qui jacto ſemine haberentur. Vide *Ramus*.

TAURUS. *Virg.* Bos validus, vaccarum admiſſarius. Tauri pugnantes paſſim ſe offerunt apud Poetas, qui in eorum deſcriptione ferocire & ipſi videntur. Notum eſt in Sacrificiis fuiſſe adhibitos, in ludis vero in præmium traditos. Ferox taurus animal, aſpectu torvus, ſuperbe & jactanter ſe efferens. Hinc *Eccleſiaſtic.* 6. 2. *Ne te extollas in cogitatione animæ tuæ, veluti taurus*. In partæ victoriæ & triumphi ſolemnitate tauri immolabantur, quos victimam omnium nobiliſſimam reputabant. *Virg.*

——— *maxima taurus*
Victima.

Idem Poeta boves robuſtos aratro junctos tauros appellat, qui cæteroqui ad arationem adhiberi non ſolent:

——— *ergo age; terræ*
Pingue ſolum, primis extemplo a menſibus anni
Fortes invertant tauri.

Ignem efflantes aratro, Aeethæ imperio, Jaſon jugavit apud Mythologos. Iidem Fabulatores meminerunt tauri ignivomi, in Cretam Inſulam immiſſi, quem omnia devaſtantem Hercules ſuſtulit. Vecturis tauri minime aptantur. Nam commentum de Jove, ſub tauri forma, Europam rapiente & ſubvectante, de navi eſt exponendum, cujus teſſera & pareſemon erat taurus. Taurum æneum

Pha-

Phalaridi Argentinorum tyranno, ſuo ingenio elaboratum, dono dedit Perillus, ut ad reos torquendos eodem uteretur: quod ſuplicium primus omnium idem Perillus inventor expertus eſt. *Ovid.*

Utque dedit juſtus tauri fabricator aheni,
Sic ego do pœnas artibus ipſe meis.

TEMETUM. Vinum. Ex quo temulentia ebrietas, & temulenti ebrii appellati. *Plin. Cato ideo propinquas fœminis oſculum dare juſſit, ut ſcirent, an temetum olerent: hoc tum vino nomen erat; unde & temulentia appellata.* Ex quibus verbis etiam diſcimus antiquum fuiſſe nomen temetum.

TERMES. Vetus Scholiaſtes Horatii obſervat proprie eſſe ramum olivæ cum foliis. Sed ad alios etiam arborum ramos extenditur.

TERMINUS. Deus, & quidem ex antiquiſſimis Ethnicæ ſuperſtitionis. Cum enim Tarquinius Superbus Jovi templum in Capitolio erigere ſtatuiſſet, cedentibus Diis aliis, Terminus ſolum & Juventus, teſte Livio, renuerunt vel paulum commoveri. Quod & Ænigma indicat apud Gellium:

Semel, minuſve, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrumque-horum, ut quondam audivi dicier:
Jovi ipſi Regi noluit concedere.

Sacrificia & divinos honores habuit, quod in ejus tutela fines agrorum eſſe crederent. Propterea ad eos deſignandos terminales ſtatuæ figebantur, quæ informes erant rudeſque lapides; lapideæ interdum columellæ, & cippi finales dicti. Quandoque ſtipites etiam ſteriles limites edocebant. *Ovid.*

Termine, ſive lapis, ſive es deſertus in agris
Stipes:

Item Tibullus:

Nam vereor, ſeu ſtipes habet deſertus in agris;
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Adde *Lactant. de falſ. Relig. l. 1. c. 20. Huic ergo publice ſuplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantum lapis,*

pis, ſed etiam ſtipes interdum eſt. Quid de iis dicam, qui colunt talia, niſi ipſos potiſſimum lapides ac ſtipites eſſe? Numa Pompilius primus apud Romanos populo agros definivit. Ad Saturnum alii eam diviſionem referunt: nam Antiqui terminos, limites, fineſque agrorum nullos habebant. *Tibull.*

Non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arva, lapis.

Et *Senec. Hippolyt.*

——— *nullus in campo ſacer*
Diviſit agros arbiter populis lapis.

Termini a Virgilio limites etiam appellantur.

Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat.

Cæterum limites proprie ſunt viæ cavæ, utrinque marginatæ in agrorum diviſionibus; quæ viæ plures terminos complectebantur. Prolixe de iis agit Salmaſius *in Solin.* In Dei Termini honorem Terminalia a Romanis inſtituta. Ea feſta magna ruſticorum ſolemnitate celebrabantur. De his Diodorus: *Eis ſacra faciunt, non hoſtias cædentes, quod nefas ſit ſanguine cruentari hos lapides; ſed liba Cerealia, frugumque offerentes primitias.*

TERMINALIA. Vide *Terminus*.

TESQUA. *Horat.* Loca inhoſpita, nemoroſa, quæ auguriis antiquitus deſignata, horrorem quemdam quaſi religionis incutiebant.

TIBIA. Proprie pars eſt cruris in animali, ſuræ oppoſita: eſt enim ſura pars cruris carnoſa, tibia vero oſſea. Ad hujus formam compactum inſtrumentum muſicum tibia etiam dicitur. Conſtat calamo buxeo, oſſeo, æreo, eburneo, item ex olea, vel oricalcho; apud ruſticos autem frequentius ex arundine. Idem inſtrumentum multiforum, & in orificio repandum eſt ad modum tubæ. Differt a fiſtula, quæ componitur ex ſeptem calamis, quorum ſinguli ſuam vocem reddunt; cum tibia unico conſtet, ſed plurimis partibus perforato. Inſtrumentum eſt

non uſu dumtaxat, verum etiam origine ruſticum. Quamvis enim Palladem inventricem habuerit; hæc tamen cum deturpari ſibi buccas inflando animadverteret, confeſtim illud abjecit; quod a Satyro fuit ſuſceptum; eoque poſtea late nemora perſonuerunt. *Virg.*

Incipe Mænalios mecum, mea tibia, verſus:

Ubi verſus Mœnalii, bucolici ſunt & paſtorales, a Mœnalo monte Arcadiæ, ubi ingens antiquitus paſtorum copia. Excogitata ſubinde eſt tibia utricularis, nempe utriculus plurimis tibiis conſtans, quo ruſtici mirifice lætantur. Exacta præſertim meſſe iis utuntur, turmatim per vicos, pagoſque, & urbes excurrentes; ruſticiſque modulis, non ſine rauduſculo, & lucello corraſo, ad conſertam turbam, ut cum Virgilio loquar,

Dant ſaltus incompoſitos, & carmina dicunt.

Qui ejuſmodi canunt tibiis, utricularii appellantur; de quibus Svetonius *in Neron. c.* 54. *Voverat ſe proditurum hydraulam, & choraulam, & utricularium.*

TOPIARIA. Vide ſequentem Titulum.

TOPIARII. *Plin. Jun.* Appellantur qui lauros, myrtos, buxos, achantos, & ejuſmodi flexiles, & ſequaces plantas ad formam teſtudinum concinne concamerant ad voluptatem, uſumque perfruendi receptu viridi umbroſoque. Iidem arbuſcularum ramos ductiles tondent, ut avium, & animalium quorumcumque figuras exprimant, vivamque quaſi picturam ſpectandam exhibeant. Artem ſic arbores figurandi topiariam vocat Cicero ad *Quint. Fratr. Ut denique illi palliati topiariam facere videantur.*

TORCULAR. *Cato.* A torquendo dicitur. Machina, qua uvæ, oleæ, & ſimilia premuntur, ad liquorem exprimendum. Hymnis & canticis Bacchi laudes perſequebantur Græci ruſtici, cum in torculari uvas calcabant, authore Athenæo. Expiatum genus humanum a ſanguine Chriſti Domini, qui effuſus fluxit in Crucis torculari, prænunciatum habemus ab Eſaia c. 26. 2. 3. *Quare ergo ru-*

rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua, ſicut calcantium in torculari? Torcular calcavi ſolus.

TRADUCES RAMI. *Varro*. Minuſculi ſunt, qui in aliam arborem traducuntur, ex quo illis nomen. Non ſolum dicuntur de inſitis, ſed etiam de propagatis, præſertim viteis.

TRAHA. *Virg*. Vehiculum ruſticanum, Dicitur a trahendo: cum enim rotas non habeat, non volvitur, ſed trahitur.

TRIBULUM. Inſtrumentum tritorium. Dicitur a terendo. Tabula eſt craſſior, ſaxis & ferramentis aſperis onerata, quæ, auriga impoſito, jumentis per aream trahitur ad fruges terendas. *Virg*.

Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere raſtri.

TRIFINIUM. Diſpoſitio finium inter tres agros. *Siculus Flaccus*.

TRIMODIUM. *Plin*. Menſura trium modiorum.

TRITICUM. *Plin*. Frumenti genus, omnium merito laudatiſſimum. A terendo dicitur. Granum eſt nitidum, grave, ſolidum. Ejus folliculus, quo quaſi theca & vagina conditur, gluma appellatur: quod in apicem acuminatum deſinit, ariſta eſt. Granum unum terræ traditum, probeque cultum, ampliſſimo fœnore reſpondet agricolæ. Auguſti Procuratorem in Africa ex uno ſemine quadringenta grana ad eumdem miſiſſe Plinius refert, quod plane incredibile memoratu eſt. Singulari certe benignitate factum a ſupremo rerum Conditore, ut ſumma ubertate proveniat, quod eſt humano victui maxime neceſſarium, & cæteroqui frugum omnium nobiliſſimum. Solum ferendo tritico quodcumque eſt aptum. Fœcundiores tamen reliquis regiones habentur Bætica provincia, Sicilia, Ægyptus, Africa, Italia præſertim, quam Sophocles *in Triptolem*. Fortunatam vocat a ſingulari triticeæ frugis ubertate. Idoneum ſationi tempus ab occaſu Plejadum, ſeu Vergiliarum, ſtatuunt Scriptores optimi. *Virg*.

At ſi triticeam in meſſem, robuſtaque farra

Exercebis humum, ſoliſque inſtabis ariſtis,
Ante tibi Eoæ Atlantides abſcondantur,
Gnoſſiaque ardentis decedat ſtella coronæ,
Debita quam ſulcis committas ſemina.

Equidem ſerendi tempus, pro regionum varietate nonnihil varium, diligenter eſſe obſervandum Agricolturæ conſulti præcipiunt. Feſtinatam vero & ſerotinam ſementem æque omnes improbant. Quemadmodum in generatione animalium alia interdum in alia diverſæ naturæ degenerantia tranſmigrant, idem in plantis & frugibus quandoque contingere animadvertimus. Hinc ex tritico lolium enaſci ſæpe cernitur. Tametſi autem aliqui exiſtiment id non fieri vitio ſeminis putrefacti, ſed potius per devecta ab imbribus, & aquis diffuſis ſui cujuſque generis ſemina adventitia, nihilominus plerique Scriptores eam permutationem a corrupto ſimilis naturæ ſeminio haberi opinantur. De cantharide, & aliis beſtiolis tritico noxiis egimus in *Tit. Horreum*.

TRITURA. *Virg.* Actus excutiendi e glumis vel ſiliquis frumenta, quod fit in area virgis, pala, tribulo, jumentis, ventilabro, &c. Vide *Meſſis*.

TRUNCUS. *Virg.* Quod ex radice craſſius exſurgit, ex quo rami germinant.

TUGURIUM. A tegendo dicitur; quod nihil in eo ornatum ſit, ſed habitationem ſolum præbeat, & ab aere protegat. Eſt enim caſula ex ulva paluſtri, vimine, & ſtramentis conſita ad uſum paſtorum, vel agricolarum. *Virgil.*

Pauperis & tecti congeſtum cæſpite culmen.

VAC-

V

VACCA. *Varro*. Bos fœmina. Ut diſcernitur vitulus a vitula, juvencus a juvenca, ſic bos a vacca.

VACERRA. *Colum.* Stipes defixus; ſed proprie ad quem equi religantur in ſtabulo.

VACUNA. *Horat.* Dea vacantium a curis, & præſertim a laboribus ruſticis. hinc hiberno tempore ſacrificabant agricolæ, cum ab agreſtium laborum ceſſatione reficiebantur. *Ovid.*

Nam quoque cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante vacunales ſtantque ſedentque focos.

A vacando dicitur.

VALGIUM. Inſtrumentum quo area æquatur. *Plin. Area æquatur cylindris vel valgio.*

VALLUS. Palus; arborum & frequentius vitium ſuſtentaculum. *Virg.*

Exacuunt alii vallos, furcaſque bicornes.

VANNUS. *Virg.* Inſtrumentum, quo ab acere & paleis poſt trituram frumenta expurgantur.

VARA. Pertica. *Vara vibiam ſequitur*, proverbium eſt, cujus meminit Auſonius. Occurrit etiam apud Vitruvium, ubi Baldus varam perticam tranſverſariam exponit, Philander contra arrectariam. Commodius Philander ad exponendam indicatam parœmiam. Proinde vara, cum ſit arrectaria, compacta vel alligata vibiæ, perticæ tranſverſariæ, ſi decidat, vibiam etiam corruere neceſſe eſt. Monet adagium, abrupto ſemel pudore, in omne vitiorum genus homines labi.

VENTILABRUM. *Colum.* Inſtrumentum, quo legumina & frumenta, in ſublime ejaculata, a glumis, ſiliquis, & paleis expurgantur.

VEPRETUM. *Colum.* Locus vepribus conſitus.

VER-

VERMICULATIO. Vide *Plantatio*.

VERRES. *Varro*. Porcus non caſtratus.

VERVACTOR. Vide *Aratrum*.

VERVACTUM. Vide *Aratrum*.

VERVEX. *Cic.* Mas caſtratus inter oves.

VIBIA. Vide *Vara*.

VICIA. Semen pabulare, optimum jumentorum pabulum. *Plin. Viciam fœcundandis arvis aptiſſimam affirmant, eamdemque minime operoſam agricolis*.

VILLA. Apud Ciceronem villa eſt domus in agro. Perſpicue id habet pro *Q. Roſc. Tunc erat ager incultus ſine tecto, nunc eſt cultiſſimus cum optima villa*. Ubi vides opponi villæ verba illa *ſine tecto*. Adde Plinii teſtimonium; *Neque fundus villam, neque villa fundum quærat*. Plinius Junior *l. 5. epiſt.* 19. accomodatiùs ad uſum loquendi, & ad acceptionem vulgariam hujus vocabuli, villam latius accipit. *Rogo, ut illi villa, ut domus pateat*. Columella villam in urbanam, ruſticam, & fructuariam dividit, ut urbana pertineat ad patremfamilias, & ornatior ſit, urbanumque in modum elegans: ruſtica, ubi villicus cum operis villaticis degat: fructuaria, ubi omnis generis frugum & fructuum ſit conditorium. Vide quæ de iis domibus ſcripſimus *in Tit. Domus*. Joannes Baptiſta Porta, ſcriptor admodum diligens & eruditus villam dividit in domum, ſilvam, pomarium, olivetum, vineam, hortum, ſegetem, pratum.

VILLICUS. *Cic.* Villæ, reique ruſticæ curandæ regendæque præpoſitus. Duo potiſſimum ſunt, quæ in villico requiruntur; alterum ut, quæ imperat, ipſe probe calleat, alterum ut ruſticanas operas regendi artem poſſideat. Poſtremum hoc moribus optimis, indole benevola, æque moderateque ſe agendo obtinebit. Alterum conſequetur, ſi, nonniſi præjactis in omni agreſti exercitatione experimentis, ad villaticum regimen ſuſcipiendum accedat. Profuerit ætate integrà, & in ſenium potius vergente, eligi villicum. Ut enim, quod eſt in adagio poſitum,

In

In ſene conſilium, ſic ab annis provecto maturius & felicius imperium proficiſcitur. Studioſe in primis & amanter cum colonis, tamquam cum ſociis, agat; iiſque morbo affectis, vel nimio labore languidis, & ſenio deficientibus curam adhibeat. Occupet ipſe frequenter laborum partem, ut alii ducem ſequantur. Vigilantiam Cato in villico impenſe commendat, ut primus ad antelucanos labores præire, poſtremus cubitum ire conſpiciatur. A temulentia, fallendi ſtudio, jactantia, intemperantia maxime alienum eſſe oportet. Otium poſtremo tum ipſe adverſari, tum ab aliis quam diligenter arcere ſatagat; quod eſt a Catone ſapienter monitum: *Nihil agendo homines male agere diſcunt*.

VINALIA. Vide ſequentem Titulum.

VINDEMIA. *Cato*. Dicitur a demendo, quoniam uva a vite demitur. Collectio eſt uvarum, ad vinum exprimendum & aſſervandum. Argumentum uberis futuræ vindemiæ ſolent eſſe imbres, qui vere decidunt, vel cum adhuc acerbæ ſunt uvæ. Autumnales pluviæ officiunt illis potius; eaſque, largiore quidem copia, ſed uſu vapidas & depravatas reddunt. Opportunum vindemiæ tempus inter Vergiliarum occaſum, & Autumnale æquinoctium cum Varrone ſtatuunt Scriptores alii. Conjecturæ, quæ ſuper uvarum maturitate capiuntur a viſu & guſtu, fallaces ſunt. Tutiorem notam exhibent vinacei, cum, deterſa viriditate, nigreſcere incipiunt. Cupis, cophinis, corbibus, omnique comparata ſupellectile vindemiali, priorem cæteris curationem vindemiatores habent in uvis eligendis. Præcoces, & quæ ex locis magis apricis proveniunt, prius debent decerpi. Racemos acerbos ſiccoſque detrahi jubent, quibus vini ſapor ſuavior cordi eſt. Iidem in lacu vinario calcati prælo ſubjiciantur, ut quod reliquum muſti eſt, exprimatur. Poſt expreſſa vina, defruti ad uſus domeſticos, loræque ad familiæ & operarum potionem curandæ, ſupereſt labor. Lora potio eſt ex vinaceis aqua maceratis, quæ conficitur poſt-

poſtquam totum muſtum ex acinis eſt expreſſum. Eam potionem ſcite Plinius vinum operarium appellat. Vindemiæ tempore Romani antiquitus celebrabant Vinalia; quo feſto novum vinum deguſtatum Jovi libabant. Et omnium quidem nationum conſenſu tempus vindemiale exactum legitur ſingulari oſtentatione hilaritatis, & ruſticorum, e lacu torculari exilientium, excito quodam impunique fervore lætitiæ.

VINEA. *Cato*. Pars agri vitifera, quæ vini cauſa colitur, ab eodem vinea dicitur. Vinea in humilem, & ſublimem a Varrone dividitur. Humilis eſt quæ humi ſtrata ſerpit, atque diſpergitur ſine ullis adminiculis; cujuſmodi in plurimis regionibus conſpiciuntur. Sublimis, vel ſolitaria eſt, eaque pedamentis fulcitur, vel arboribus nexa in ſublime ſe agit, ſcanditque earum cacumina, & arbuſtiva appellatur. Tranſverſis etiam perticis & palis extenditur, & pergulana jugata nuncupatur. Quod ad congruentem cœli poſituram attinet, cum campeſtres aliæ ſint, collinæ aliæ, vel montanæ, nihil certi de iis præcipi poteſt; ſtandumque uſui & experientiæ locorum, & agricolarum ſolertiæ, qui pro ipſa vitium varietate diverſo in loco vineas conſerunt. *Plin. Ad ſoli naturam, ad loci ingenium, ad cœli cujuſque mores dirigenda ſolertia eſt*. Præterea exortivum proſpectum alii laudant, meridianum alii; occaſum præ exortu non pauci commendant; nam borealem improbant omnes damnantque. In univerſum licet vehementer æſtuoſa & prægelida loca vitibus officiant, compertum tamen eſt calido eas potius, quam frigido cœlo lætari. Adverſi omnino ſunt tractus uligine obſiti, valleſque cœno ſordidæ perinde ac ſummi jugorum apices, perpetua ventorum agitatione perflati. Percommodum illud cenſetur ſolum, quod inter æſtum & frigus immodicum, temperamentum modumque obtinet. Toſaceam, glareoſam, argilloſam, & ſabulone rubentem terram, quæ argumenta ſiccitatis habentur, merito vites refugiunt, quæ potius agrum pluvium,

vium, alimenti copiam, ſolumque reſolutum, lætum, & minime aridum deſiderant.

VINUM. Liquor vitigenus, ex uva expreſſus. Bacchi inventum eſt, ut plerique tradunt.. *Virgil.*

Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta,
Poculaque inventis Acheloja miſcuit uvis &c.

Ubi adverte, cum primum is liquor innotuit, aqua fuiſſe temperatum. Bacchus ipſe idem indicavit, aſcitis ſibi in coronamentum frondibus hederaceis, quæ vini ardorem retundere feruntur & hebetare. Nimirum ut morbo proxima medela eſſet, vinique immodico uſui hedera conciliatrix ſobrietatis occurreret. Cæteroqui ut vinum intemperanter hauſtum ebrioſos, adempto rationis uſu in furorem agit, ſic moderate uſurpatum animos exacuit, exſuſcitat vires deſides torpidaſque, & ad conſilia provide capienda mentes inflammat. Expreſſit id Ariſtophanes *in Equit.*

Quid? tune vinum audes calumniarier?
Quaſi ad conſultandum nihil afferat boni?

Neſtor certe apud Homerum, cum aliquanto liberalius ſe vino proluit, conſilia Græcis affatim utilia & ſalutaria prodit. Sed & Germani inter pocula conſultaſſe in conviviis memorat Tacitus; *quod*, ut ipſe ſcribit, *nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad majores incaleſcat*. Vini in doliis, amphoris, cadiſque condendi mos fuit antiquiſſimus. Sic autem iis Veteres utebantur, ut ea pice diligenter oblinerent, aptarentque in locis, ubi fumus poſſet pervadere, quo vina celerius matureſcerent. *Horat.*

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice dimovebit
Amphoræ, fumum bibere inſtitutæ,
Conſule Tullo.

Non Conſulis ſolum, ſed & loci nomen, ex quo vina proveniebant, adnotare antiquæ fuit conſuetudinis. *Juvenal.*

—— cujus patriam titulumque ſenectus
Delevit multa veteris fuligine teſtæ.

Nam & quæ nobilioris notæ erant a ſolo patrio nuncupabant: cujuſmodi erant Cæcubum, Falernum, Creticum, Mamertinum &c. Vina arbuſtiva præſtare cæteris Veteres ſanciverunt; uvaſque ex ima parte arborum uberius, ex ſumma præſtantius decerpi obſervarunt. Scriptum præterea reliquerunt vini turbulentiam reſidere, ſi ovorum albumen, albo ſale permiſtum emolitumque in dolia diffundatur. Sunt etiam quædam inventa ad deprehendendum, an ſincerum ſit vinum, & nulla aquæ miſtione debilitatum. In vas vino oppletum mala vel pira ſilveſtria immittunt: ſi vinum ſincerum fuerit, ſupernatabunt; ſi ſecus, ſubſident. Cato, & Plinius idem dignoſci ſcribunt adhibito vaſe hederaceo, ex quo aqua permixta effluet: neque enim continere aquam ſcribunt vaſa hederacea. Verùm hoc experimentum fallax eſſe alii contendunt. Nationes, quæ vino ex vitibus expreſſo carent, factitio utuntur. Hujus generis quamplurima circumferuntur, quæ a Plinio accurate recenſentur. Conficiuntur hodie potiones manufactæ ex tritico, hordeo putreſcente, aliiſque frugibus madefactis. Item ex lupis ſalictariis, variaque herbarum pomorumque permiſtione. Sequuntur hæ potiones vini naturam. Nam ſobrius earum uſus torporem excutit, & ad labores ſuſtinendos vires ſufficit: immodice hauſtæ corpus debilitant, mentem hebetant, & nihilo ſecius quam validiſſimi roboris vina, ebrietatem inducunt. Quid ſint vina coronata, quæ ab Homero, Virgilio, aliiſque commemorantur, a Criticis adhuc diſcutitur. Aſſentior iis, a quibus exponuntur affatim effuſa; ita ut poculorum margines liquor exſuperet. *In vino veritas*, vetus eſt adagium, quo indicatur intimos veroſque animi ſenſus expromi ab iis, qui vino in conviviis liberalius perfunduntur.

VIOLARIUM. *Ovid.* Locus violis conſitus.

VIRGA. A virendo dicitur. Ramus tenellus, ex arbore vel fru-

ſrutice reſectus, ſive viridis ſit, ſive aridus. Ex iis fiſcellæ texuntur. *Virg.*

Nunc facilis rubea texatur fiſcina virga.

Virgis vimineis ad alligandum utuntur paſſim agricolæ. Symbolum eſſe virgam regiæ poteſtatis, & pro ſceptro paſſim uſurpari tam in ſacris, quam in profanis paginis notum eſt. *Pſalm.* 2.9. *Reges eos in virga ferrea. Et* 44.7. *Virga directionis, virga regni tui.* Et 109. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum.* Antiquitus enim ſceptrum baculus erat, ſeu virga, ebore ornata vel ære; ut ab Homero deſcribitur in ſceptro, quod a Vulcano fabricatum Agamemnoni Juppiter dono dedit. Sumitur etiam virga pro diſciplinæ inſtrumento, & animadverſione. *Pſalm.*88.33. *Viſitabo in virga iniquitates eorum.* Hinc virgæ lictorum apud Romanos, quibus rei verberabantur. Hinc etiam apud Plinium virga ſanguinea, qua cædebantur parricidæ. Sanguinea autem dicitur a colore fruticis purpurantis, ex quo fiebat. Adſtrue virgam cenſoriam, ſic nuncupatam a Romanis Cenſoribus, qui in pravos Civium mores ſeveriſſime animadvertebant. Apud Homerum monſtrifera legitur Palladis virga, qua Ulyſſem, ſenio & laboribus fractum, Pallas primum vertit in juvenem, mox ex juvene nitido florentique iterum permutavit in ſenem. Famigeratiſſima item eſt apud Mythologos virga Mercurii, de cujus uſu Virgilius,

Tum virgam capit; hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia tartara mittit:
Dat ſomnos adimitque.

Virgula divina, in parœmiam abiit, qua indicamus, ſiquid divinitus, præterque humanam operam factum eſſe arbitramur. Exiſtimabant quippe Veteres non ſecus in virgis quam in anulis, vim quamdam eſſe fatalem. *Cic. de Offic. Quod ſi nobis omnia, quæ ad cultum victumque pertinent, virgula, ut ajunt, divina ſuppeditarentur &c.*

VIRGETUM. *Cic.* Locus virgis conſitus.

VIRGULTUM . *Virg*. Virgularum pullulantium multitudo: quaſi virguletum.

VIRIDARIUM. *Plin*. Locus herbarum & arborum viriditate amœnus. Vide *Hortus*.

VISCUS. Glutinoſum illud eſt, quod in arboribus naſcitur, nec tamen ex arbore, ut paſſim traditur. Ajunt in arbores devectum ex alvo avium, præſertim palumbis & turdi. *Plinius*: *Quædam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur: namque cum ſuam ſedem non habeant, in aliena vivunt, ſicuti viſcum*. Uſus viſci frequentiſſimus eſt pro glutine aviario, quo nempe illitæ virgulæ avibus tendiculas parant.

VITIARIUM. Vitium ſeminarium. *Colum. Faciatque vitiarium, ex quo poſſit agrum vineis veſtire*.

VITIS. Planta uvæ procreatrix. Originationes nominis variæ afferuntur. Mihi a vivendo dicitur, tum quia ipſa reliquis plantis nobilius vivit; tum quia hominibus ad vitam ſuſtentandam liquorem miniſtrat omnium præſtantiſſimum. Theophraſtus arborem vitem appellat: verum Columella, Scriptoreſque alii tertium quiddam ſtatuunt inter arborem & fruticem. Licet enim brachiis & palmitibus ſe expandat, nihilominus cum rudi tortilique trunco erratica & diſſoluta diſpergatur, ab arborum forma magnopere diſcrepat. Vini, vitiſque inventorem Bacchum Etymologici referunt. Sed ex Sacris Literis conſtat Noe Patriarcham, qui Baccho antiquior fuit, vineam plantaſſe. *Geneſ*. 9. 20. *Cepitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam*. Planta eſt ad culturam omnium maxime morigera. Nam erigitur ad ſuprema arborum faſtigia; deprimitur in propagines; aptatur jugatis pergulis; coercetur adminiculis & pedamentis; in flexiles demum arcus concamerata exornat topiaria. Sed præcipua vitis commendatio petitur a fructu omnium ſuaviſſimo, quem ſingulari copia, mira varietate, uſque ad hiemis exitum prorogat. Licet autem de ejus ubertate Cato, Varro, & Co-

& Columella mira prodiderint, obſtupeſcere adhuc magis nos cogunt Sacra Volumina, ubi palmitem a terra Chanaan tot racemis onuſtum memorant, ut a duobus viris pertica impoſitum bajulari neceſſe fuerit. *Numer.* 13. 24. *Pergenteſque uſque ad torrentem botri abſciderunt palmitem cum uva ſua, quem portaveruut in vecte duo viri*. Præcipua vitium genera Plinius enumerat; nam innumera ea eſſe ſic præfatur: *Genera vitium numero comprehendi poſſe unus exiſtimavit Democritus, cuncta ſibi Græciæ cognita profeſſus. Cæteri innumera atque infinita eſſe prodiderunt; quod verius apparebit ex vinis. Nec omnia dicuntur, ſed maxime inſignia, quippe quæ totidem penè ſunt, quot agri*. Nihilo proinde ſecius uvarum, quam vitium genera numero carent. Recenſentur præcoces, ſerotinæ, eſcariæ, duracinæ, corneolæ, apianæ, helveolæ &c. Harum liquor expreſſus non modo nutritioni opitulatur, verum etiam curas diſcutit, & mœſtitiæ oblivionem ingenerat. *Virg.*

Adſit lætitiæ Bacchus pater.

Ætate provectos potiſſimum reficit; ut hac ſenum non immerito appelletur. Vitis apud Romanos geſtamen erat Centurionum, qua in Cives animadvertebant; nam in exteros virgæ expediebantur. Honeſtamentum vero ſummum atque præconium vitibus acceſſit a Chriſto Domino, ubi ſe viti comparaſſe legimus *Joann.* 15. *Ego ſum vitis vera*. Quod effatum, pro noſtri tenuitate ingenii, ſic amplificandum ſuſcepimus *Anacreon. Ricant. Palinod.* 41.

SUm vera Vitis; agris
Sed non Opimianis
Rodiiſque nata glebis.
Me non aprica Lesbos,
Me non jugoſa Crete.
Nec protulit feraces
Methymna nigra colles.

Non-

Nondum flagrante curru
Coquebat arva Titan;
Prægnans liquore nubes
Pluviis rigare toſtas
Nec ceperat novales;
Cœleſtibus viretis
Beneculta cum nitebam,
Spatiis coacta nullis;
Ignota quæſtuoſi
Et falcibus coloni.
Labentibus ſed annis
Hoſpes ſolum ſubivi:
Coluique Nazarææ
Intacta culta terræ.
Mox inſitiva primum
Bethlemicis in oris
Educta, blandientes
Cincinnulos, novellos
Et palmites ferebam.
Sublimis inde crevi
Imbreſque per cruentos,
Æſtuſque per malignos,
Statuminata clavis,
Duriſque ſecta flagris,
Robuſtiore trunco,
Solimejos tenebam
Procera Vitis agros.
Cœleſtis ille demum
Ruris Colonus, ægre
Viduam jacere paſſus,
Tibi me, decora, dulcis,
Longis petita votis,
Sociavit, Arbor; alto
Cui colligata Clivo
Hinc ſubditis pependi
Affixa, & hinc lacertis.

Celſo

Celſo jugata trunco,
Repente vina fudi,
Quæ præla Formianis
Non intulere cellis;
Sordens lacuque preſſit
Nec vinitor Caleno.
Ubi ſed beatus omnes
Abiit liquor per oras;
Et ebrium piavit
Luſtralis humor Orbem;
Revirente fronde, botris
Iterumque me novellis
Victrix ad aſtra tollo,
Non ſarculos, ſeveræ
Morſuſque falcis, ultra
Paſſura, nec bipennes.
Nec longa tranſmeabit
Ætas, utrumque ſolem,
Vaſti ſinuſque ponti
Cum protegam, racemis
Per litus omne fuſis:
Amplectar & repoſtas
Umbra favente terras.

EAMDEM ITALICE SIC REDDIDIMUS.

Vera vite ſon'io,
Non già di Lesbo, o Chio,
Nè di Creta, o di Rodi,
O di qual più ſi lodi
Pampinoſa pendice,
Di liquid'or felice.
Non ancor chiara luce
Spargea del giorno il Duce;
Nè le pioggie dal Cielo
Scotean l'umido velo,
Quando ſopra i ſuperni

Giri

Giri degl'orti eterni,
Libera dagl'avari,
E ſpinoſi ripari,
Senza timor di rea
Falce crudel, godea
Un'April tal, che verde
Non ſcema mai, nè perde.
Ma cominciando poi
Gl'anni i gran corſi ſuoi,
Dal più ſublime polo
Trapiantata nel ſuolo,
Sceſi nel puro ſeno
Del Nazareo terreno;
E nella prima etade,
Sulle Betlee contrade,
In grembo a' venti algenti,
Ed ariſte pungenti,
Di caldi umor coſperſi
I miei germogli aſperſi.
Da pioggia indi inaffiata,
Dura sì, ma pur grata
Di ſangue e di ſudori,
E da colpi ſonori
D'aſpre verghe reciſa,
Ed in acerba guiſa
Ferma da ferrei chiodi,
In diſuſati modi
Crebbi, dove il Giordano
Più largo inonda il piano.
Ma non ſoffrì 'l Celeſte
Agricoltor, che meſte
Giaceſſer le mie chiome,
Prive di pregio e nome.
Onde a te mio ſoſtegno,
Legommi, amato Legno,
Meta de' miei ſoſpiri,

Ed

Ed acceſi deſiri.
Toſto, che ad eſſo avvinſi
Ambe le braccia, e 'l ſtrinſi;
Verſai pioggie vitali
Di liquori immortali,
Liquori ignoti; e aſcoſi
A' torchi più famoſi,
Ovunque ſtilla, e cede
Sotto ruſtico piede
Ambra, ch'i meſti cori
Più ſereni e riſtori.
Ma poichè i liquor vivi
Corſero a rivi a rivi
A ripurgar l'immondo
Già riſtorato Mondo,
Io di più verde ammanto
Mi rinovello, e ammanto;
Nè delle falci ardite
Temendo più ferite,
Fioriſco, ove remota
S'inalza, agl'anni ignota,
Eterna immenſa mole,
Sovra il camin del Sole.
Alfin col tempo fia,
Che ſotto l'ombra mia
Si ricoveri unito
Ogni più ſtrano lito;
E abbraccierò ſepulte
Le terre ancor occulte
Agl'ingordi penſieri
De' più arditi Nocchieri.

VITULUS. *Varro*. Fœtus vaccæ maſculus, nondum annum egreſſus.

VIVIRADIX. Planta novella cum radice, vel radix ipſa avulſa cum cæſpite, quæ ſic plantari transferrique ſolet.

Colum. Sationis duo ſunt genera, malleoli, & viviradix: Præſtat tamen plurimum viviradix; utpote quæ ob copiam humoris inſiti robuſtior eſt, & adverſus imbres, æſtus & tempeſtates validius perdurat.

UMBRACULUM. Umbroſus locus, præcipue ramis contextis & frondibus coopertus. *Virg.*

——— *texunt umbracula vites.*

VOMER. Pars aratri, gravi cuſpidatoque ferro conſtans, quo terra aperitur in ſulcos: & quoniam ea proſciſſione ex utraque parte glebas vomit, ideſt, ejicit, idcirco Vomer dicitur a Varrone.

URUS. Bos ferus, ſilveſter, paulo minor Elephanto, ut refert Cæſar *de Bell. Gall.* ſumma vi, celeritate, & feritate præſtans. Eos Plinius ſcribit imperite confundi cum bubalis, quos magnitudine vituli, vel cervi eſſe aſſeverat. Nos hodie paſſim bubalos appellamus boves feros, qui robore prævalido, non vecturis ſolum, lactique miniſtrando, ſed aliis etiam miniſteriis agrorum culturæ deſerviunt, & adlaborant.

UTRICULARIUS. Vide *Tibia*.

UVA. Vide *Vitis*.

Z

ZEA. *Plin.* Genus frumenti ad farris ſimilitudinem. Alio nomine Alica dicitur.

INDEX TITULORUM

Diſtributus per Claſſes rerum.

CAPITA CLASSIUM

I.

Curatores, operæ, & quomodolibet pertinentes ad rem ruſticam.

II.

Exercitationes ruſticæ.

III.

Ædificia ruſtica.

IV.

Ager, & agri partes.

V.

Legumina, frumenta, bulbi.

VI.

Partes arborum.

VII.

Partes herbarum, frumenti, & leguminum.

VIII.

Animalia.

IX.

Inſtrumenta ruſtica.

X.

Menſuræ, & limites.

XI.

Liquores.

XII.

Inſtrumenta ruſticomuſica, & carmina ruſticæ originis.

XIII.

Vaſa, machinæ, & ſupellex ruſtica.

XIV.

Suſtentacula.

XV.

Proſciſſiones terræ ad culturam.

XVI.

Feſta, & ſacrificia ruſtica Ethnicorum.

XVII.

Dii, Deæque ruſticorum apud Ethnicos.

XVIII.

Quæ ſunt culturæ infeſta.

XIX.

Quæ ſunt extra Claſſes.

I.

Curatores operæ, & quomodolibet pertinentes ad rem ruſticam.

Abigeus.
Affines.
Agaſo.
Agricola.

Agri-

Agrimenſor.
Agripetæ.
Alligator.
Amſegetes.
Arator.
Bubſequa.
Bubulcus.
Caprarius.
Caprimulgus.
Capulator.
Cellarius.
Colonus.
Conductitiæ operæ.
Cuſtos.
Epiſtates.
Equiſones.
Leguli.
Metator.
Olitor.
Opilio.
Partiarius.
Paſtor.
Porculator
Ruſticus.
Subulcus.
Topiarius.
Villicus.

II.

Exercitationes ruſticæ.

Ablaqueatio.
Amputatio.
Aquilegium.
Aratio.
Arundulatio.
Avulſio.
Botaniſmus.
Caprificatio.
Caſtratio.
Colluco.
Colo.
Emplaſtratio.
Foſſio.
Frondatio.
Gummitio.
Imporco.
Inaro.
Inoculo.
Inſitio.
Irrigatio.
Meſſis.
Occatio.
Pampinatio.
Paſtinatio.
Paſtio.
Plantatio.
Propagatio.
Pulveratio.
Putatio.
Runcatio.
Sarritio.
Satio.
Sicilimentum.
Spicilegium.
Stercoratio.
Vindemia.

III. *Ædi-*

III.

Ædificia ruſtica.

Anſerarium.
Attegiæ.
Aviarium.
Bovile.
Cancelli.
Cannitiæ cameræ.
Caprile.
Caſa.
Caſeale.
Caula.
Cellarium.
Cella vinaria.
Cella olearia.
Cella fructuaria.
Ciſterna.
Clauſtrum.
Cohors.
Columbar.
Conſeptum.
Dividicula.
Doliarium.
Domus.
Equile.
Ergaſtulum.
Faliſca.
Fœnile.
Fumarium.
Gallinarium.
Hædile.
Hara.
Horreum.
Leporarium.
Maceria.
Magalia.
Mandra.
Mapalia.
Nubilarium.
Ovile.
Roborarium.
Stabulum.
Suile.
Tugurium.

IV.

Ager, & agri partes.

Acceptæ.
Acetaria.
Actus.
Ager.
Anteurbana prædia.
Antes.
Antræ.
Arbuſtum.
Area.
Arundinetum.
Bucetum.
Buxetum.

Cæ-

Cæſpes.
Calvata vinea.
Campus.
Cannabetum.
Capitata vinea.
Carducetum.
Caſtanetum.
Cepurica.
Citretum.
Collinæ vineæ.
Compaginales agri.
Compluviata vinea.
Conſeminea vinea.
Crudum ſpatium.
Cupreſſetum.
Daphnon.
Dumetum.
Eſculetum.
Ficetum.
Fori.
Fruticetum.
Fundus.
Glabreta.
Gleba.
Hæredium.
Hortus.
Jugerum.
Juncetum.
Latifundium.
Lauretum.
Lilietum.
Lucus.
Maſculetum.
Mirtetum.
Napina.
Nemus.
Novalis.
Novelletum.
Oletum.
Olivetum.
Palmetum.
Paſcuum.
Paſtinum.
Plantarium.
Pomarium.
Pometum.
Porculetum.
Prædium.
Præſepe.
Pratum.
Quercetum.
Reſtibilis ager.
Roſetum.
Rubetum.
Rus.
Salictum.
Seminarium.
Silva.
Sterquilinium.
Teſqua.
Topiaria.
Vepretum.
Villa.
Vinea.
Violarium.
Virgetum.
Virgultum.
Viridarium.
Vitiarium.

V. *Le-*

V.

Legumina, frumenta, bulbi.

Ador.
Alica.
Allium.
Arinca.
Avena.
Bulbi.
Cæpa.
Cicer.
Crimum.
Ervum.
Faba.
Far.
Fermentum.
Fruges.
Frumentum.
Hordeum.
Legarium.
Legumen.
Lens.
Lolium.
Lupinus.
Oryza.
Panicum.
Phaſeolus.
Piſum.
Ptiſana.
Secale.
Seges.
Siligo.
Triticum.
Vicia.
Zea.

VI.

Partes arborum.

Acinus.
Arbor.
Aſtaphis.
Briſa.
Bruſcum.
Candoſocus.
Capreolus.
Caudex.
Caulicula.
Cortex.
Cuſtos.
Dracones.
Duramen.
Emiſſarius palmes.
Ferabites.
Fereola.
Flagellum.
Flos.
Focaneus palmes.
Folium.
Frons.
Fructus.
Frugiperda.
Funetum.
Furunculus.
Gemma.

Ger-

Germen.
Glans.
Gummi.
Labruſca.
Liber.
Malleolus.
Mamma.
Muſcus.
Oculus.
Olea.
Omphacium.
Palmes.
Pampinus.
Panicula.
Paxillus,
Pergula.
Planta.
Racemus.
Radix.

Ramus.
Reſina.
Ridica.
Scopus.
Semen.
Seminium.
Stipes.
Stirps.
Stolones.
Surculus.
Talea.
Termes.
Traduces rami.
Truncus.
Virga.
Viſcus.
Vitis.
Viviradix.
Uva.

VII.

Partes herbarum, frumenti, & leguminum.

Acus.
Ala.
Appluda.
Ariſta.
Bacca.
Balanus.
Calix.
Caulis.
Cicum.
Crena.
Culmus.
Cyma.
Geniculum.
Gluma.

Granum.
Furfur.
Herva.
Hilum.
Lachanum.
Manipulus.
Naucum.
Olus.
Palea.
Scapus.
Siliqua.
Spica.
Stipula.

VIII.

Animalia.

Admiſſarius.
Agnus.
Ambidentes oves.
Ancharius.
Aper.
Apicæ oves.
Aries.
Armentum.
Aſinus.
Bos.
Bubalus.
Buculus.
Burdones.
Caballus.
Canis.
Cantherius.
Capella.
Capra.
Caprea.
Capreolus.
Cervus.
Cuniculus.
Curvifrontes.
Dama.
Damalio.
Equus.
Grex.
Hœdus.
Hircus.
Ibex.
Jumentum.
Juvencus.
Lupus.
Majalis.
Mannus.
Mulus.
Ovis.
Pecus.
Porcus.
Pullus.
Scrofa.
Sus.
Taurus.
Vacca.
Verres.
Vervex.
Vitulus.
Urus.

IX.

Inſtrumenta ruſtica.

Aquælicium.
Aratrum.
Batillum.
Bidens.
Bipalium.
Bipennis.

Bura.
Ciconia.
Crates.
Cribrum.
Culter.
Cylindrus.
Dentale.
Entheca.
Falx.
Falcicula.
Incerniculum.
Infundibulum.
Ligo.
Marra.
Occa.
Pala.
Pavicula.
Pecten.
Raſtrum.
Securis.
Tribulum.
Valgium.
Vannus.
Ventilabrum.
Vomer.

X.

Menſuræ, & limites.

Acna.
Actus.
Arbor.
Arcifinius ager.
Arepennis.
Bes.
Cæſalis lapis.
Cancellatio.
Canon.
Centuria.
Cippus.
Clauſtrum.
Confines agri.
Decempeda
Fovea.
Groma.
Jugerum.
Limes.
Maceria.
Modius.
Porca.
Sepes.
Septunx.
Sexcunx.
Seſquijugerum.
Seſquimodius.
Sextarius.
Striga.
Terminus.
Trifinium.
Trimodium.

XI.

Liquores.

Acetum.
Adynamum.
Amurca.
Aqua.
Butyrum.
Carœnum.
Defrutum.
Fæx.
Floces.
Fraces.
Hepſema.
Lac.
Lora.
Mel.
Oleum.
Sapa.
Temetum.
Vinum.

XII.

Inſtrumenta ruſticomuſica, & Carmina ruſticæ originis.

Arundo.
Avena.
Calamus.
Cicuta.
Comœdia.
Drama.
Ecloga.
Fiſtula.
Pandura.
Pandurizo.
Satyra.
Syringia.
Tibia.
Utricularius.

XIII.

Vaſa, Machinæ, & ſupellex ruſtica.

Acæna.
Acrobaticum.
Agolum.
Alveus.
Amphora.
Ampulla.
Antlia.
Aqualiculus.
Aquarium.
Armille.

Ba-

Bacrio.
Cadus.
Carbaſinæ crepidæ.
Clitellæ.
Cochlea.
Colum.
Confibula.
Cophinus.
Corbis.
Cortina.
Crates.
Cupa.
Cupella.
Diota.
Dolium.
Fœcariæ ſportæ.
Fiſcus.
Labrum.
Metreta.
Mola.
Mulctra.
Nebris.
Obba.
Pedum.
Pera.
Pero.
Pertica.
Prælum.
Qualus.
Scirpicula.
Sparus.
Stamen.
Torcular.
Traha.
Vacerra.
Vara.
Vibia.

XIV.

Subſtentacula.

Adminiculum.
Calamentum.
Cervus.
Furca.
Furcilla.
Palus.
Pedamentum.
Vallus.
Vara.

XV.

Proſciſſiones terræ ad Culturam.

Alveati ſulci.
Colliciæ.
Commata.
Conciſura.
Deductorium.
Diacopi.
Elices.
Lira.

Porca.

Porca.
Scrobs.
Striga.
Sulcus.
Fovea.

XVI.

Feſta, & Sacrificia ruſtica Ethnicorum.

Ambarvalia.
Aſcolia.
Floralia.
Lupercalia.
Palilia.
Robigalia.
Terminalia.
Vinalia.

XVII.

Dii, Deæque ruſticorum apud Ethnicos.

Agenora.
Apollo.
Bacchus.
Ceres.
Chloris.
Diana.
Fauni.
Flora.
Lacturſia.
Matura.
Murcia.
Nymphæ.
Pales.
Pallas.
Pan.
Pomona.
Robigus.
Runcina.
Sator.
Saturnus.
Satyri.
Segeſtia.
Seja.
Silenus.
Silvanus.
Sterculius.
Stimula.
Terminus.
Vacuna.
Vervactor.

XVIII.

Quæ ſunt culturæ infeſta.

Araneum.
Aſilus.
Bruchus.
Calamitas.
Cantharis.
Carbunculatio.
Clades.
Coriago.
Cuniculus.
Curgulio.
Eruca.
Phalangium.
Roratio.
Rubigo.
Sideratio.
Solipunga.
Strages.
Tabanus.
Vermiculatio.

XIX.

Quæ ſunt extra claſſes.

Acervus.
Bellum ruſticum.
Calamitas.
Clades.
Cultello, as.
Cuſſilares.
Defrugo.
Defundo.
Deglubo.
Deliro.
Diradio.
Diſpalo.
Elutrio.
Exoſſatus ager.
Falcarii.
Fimus.
Fœnum.
Frutex.
Interordinium.
Intervallum.
Jugum.
Labor.
Lucubratio.
Maturitas.
Meta.
Quincunx.
Servilia lex.
Umbraculum.

FINIS.

p60027

ER-

ERRATA CORRIGE.

P*Ag.* 2. *lin.*	14.	Siculus, Flaccus	Siculus Flaccus
7.	21.	vero	a vero
10.	30.	futile	fictile
16.	22.	, ex memorato	. Ex memorato
21.	31.	nato ,	natos
28.	11.	victiſque	vittiſque
40.	28.	Qui?	Qui ? *Staphil.*
65.	24.	, jocoſæ	. Jocoſæ
101.	2.	mapalia	mapalia .
108.	23.	etiamſi	etiam ſi
109.	32.	iteratum	iteratam
117.	1.	virentis	bidentis
133.	14.	, addito	addito ,
160.	5.	juſtus	juſtas
165.	9.	hinc	huic
171.	20.	qui	qua
173.	33.	Crete .	Crete ,